

# Acta Congregationis

a SS. Cruce et Passione D. N. J. C.

---

Jesu Christi Passio sit semper in cordibus nostris

---

## EX ACTIS APOSTOLICAE SEDIS

### SACRA POENITENTIARIA APOSTOLICA

(*Officium de Indulgentiis*).

DIVINI OFFICII CORAM SS.MO SACRAMENTO RECITATIO INDULGENTIA PLENARIA DITATUR.

Ss.mus D. N. Pius div. Prov. Pp. XI, in Audientia die 17 Octobris c. a. infrascripto Card. Poenitentiario Maiori impertita, vota sacerdotum in civitate Lauretana occasione X Eucharistici conventus nationalis coadunatorum libentissime excipiens, ad cleri devotionem et amorem erga Augustissimum Eucharistiae Sacramentum magis magisque fovendum, benigne concedere dignatus est ut clerici in sacris constituti, qui integrum divinum Officium, quamvis in partes distributum, coram Ss.mo Sacramento sive publicae adorationi exposito, sive in tabernaculo adservato, recitaverint, indulgentiam plenariam, suetis conditionibus, lucrari valeant. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione et contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae ex Aedibus S. Poenitentiariae, die 23 Octobris 1930.

L. ✠ S.

L. CARD. LAURI, *Poenitentiarius Maior.*

I. TEODORI, *S. P. Secretarius.*

# DOCUMENTA PONTIFICIA CONGREGATIONIS

---

## S. CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

### I.

FACULTAS CONCEDITUR, QUA CAPITULA IN CONGREGATIONE PER  
TRES MENSES ANTICIPARI AUT DIFFERRI POSSUNT.

*Beatissime Pater,*

Procurator Generalis Congregationis a Passione Jesu, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter petit ut, ob rationes Sacrae Congregationi expositas, Capitula tam Generalia, quam Provincialia suae Congregationis, dummodo singulis sexenniis aut respective trienniis habeantur, anticipari vel differri possint per tres menses, illius anni tempore, in quo, expleto triennio vel sexennio, eorum celebratio recurrit.

Et Deus etc.....

BENIGNA CONCESSIO.

N. 6910/30

Vigore facultatum a SS.mo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, perpensis expositis, benigne annuit pro gratia iuxta preces, servatis ceteris de iure servandis, et ita tamen ut mutatio inseratur in Constitutionibus.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, die 12 novembris 1930.

VINC. LA PUMA, *Secr.*

HENRICUS AGOSTINI, *Adiutor a Studiis.*

ADNOTATIONES. — Juxta Regulas et Constitutiones, Capitula Generalia quolibet sexennio (n. 242), et Capitula Provincialia, quolibet triennio (n. 258) in nostra Congregatione celebrari

oportet; at nullum spatium temporis determinatum huius celebrationis, in iisdem statuitur. Hinc iam ab anno 1781, ne forte Capitulorum celebratio unquam nullitatis vitio laboraret, Joannes Baptista a S. Vincentio Ferreri, prius post Sanctum Fundatorem Praepositus Generalis, datis precibus, a S. Congregatione Episcoporum et Regularium Rescriptum impetravit, vi cuius, Capitula in Congregatione nostra, dummodo singulis sexenniis aut respective trienniis iuxta Regulas haberentur, celebrari poterant a mense aprili ad totum mensem iunium.

Anno 1866, cum Congregatio nostra in Gallia, Anglia et America septentrionali ex optato feliciterque propagari coepisset, Petrus Paulus a Virgine Dolorosa, tunc temporis Praepositus Generalis, pro exteris Provinciis, in quibus nempe extra verum tempus Capitula ordinario habebantur, privilegium impetravit eadem Comitia inibi celebrandi intra spatium trium mensium, quocumque anni tempore eorum celebratio recurreret. Facta verum concessio, ut patet ex tenore petitionis et Rescripti, nonnisi Provinciis iam erectis suffragabatur. Quapropter anno 1887, Praepositus Generalis illius temporis, Bernardus M. a Jesu, ad eandem S. Congregationem iterum recursum habuit, et die 23 martii ejusdem anni, dicti privilegii extensionem ad Provincias quoque noviter erectas obtinuit. Nova tandem extensio pro Provinciis in Hispania et America latina recenter constitutis, a Pio X, die 18 maii 1907 benigne indulta fuit.

Alia igitur concessione nobis opus erat pro Provinciis ab anno 1907 et deinceps erectis, cuius obtinendae opportunam occasionem praebuit consilium novam editionem Privilegiorum nostrorum parandi. Ne autem in futurum similis necessitas iterum occurreret, opportunum visum fuit unicum tantum facultatem pro omnibus Congregationis Provinciis sive erectis sive erigendis, eamque ampliorem impetrare, spatium enim trium mensium iam insufficientem videbatur, cum interdum soleant plura Provincialia Comitia, eodem tempore, recurrere. Precibus ergo S. Congregationi ad hunc effectum exhibitis, supra relata concessio nobis indulta fuit, vi cuius in universa Congregatione, tam in Provinciis iam erectis quam in Provinciis in futurum erigendis semestre tempus pro Capitulorum celebratione indulgetur, ita ut eadem celebrari possint intra tres menses ab elapso triennio vel sexennio, et intra tres menses antequam

triennium vel sexennium elabatur. Dicta autem concessio, ut ex clausula Rescripti patet, non iam ut privilegium sicut antea (Cfr. *Compendium Facultatum*, etc., 1882, N. 63, 64) sed ut lex habenda est, non secus ac aliae praescriptiones Constitutionum.

N. 4992/30

## II.

NOVITIATUS PROVINCIAE HOLLANDICAE TRANSFERTUR A RECESSU B. MARIAE V. DOLOROSAE IN NOVUM RECESSUM VULGO « MARIA HOOP ».

*Beatissime Pater,*

Moderator Provinciae Matris S. Spei, Congregationis a Passione D. N. J. C., ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humillime facultatem implorat erigendi canonice novitium in Recessu vulgo « Maria Hoop », suppresso eo qui nunc est in Recessu B. Mariae Virginis Dolorosae apud Mook.

Et Deus etc.....

### BENIGNA CONCESSIO.

Vigore facultatum a SS.mo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, audito voto Rev.mi Procuratoris Generalis, Reverendissimo Praeposito Generali facultatem tribuit deveniendi ad canonicam erectionem Novitium, proviso ut in eadem domo Superiores collocent Religiosos qui sint ad exemplum regularis observantiae studio et Novitium ab ea parte domus in qua degunt professi sit, quantum fieri potest, segregatus; servatisque ceteris de iure servandis.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, die 16 augusti 1930.

VINC. LA PUMA, *Secretarius.*

HENRICUS AGOSTINI, *Adiutor a Studiis.*

CONSESSIONIS EXECUTIO.

I. X. P.

Potestate Rev.mo Praeposito Generali commissa et nobis in hac parte delegata libenter utentes, Novitium Provinciae Matris S. Spei in Recessu vulgo Maria Hoop canonice erigimus, eo suppresso qui nunc extat in Recessu B. M. V. Dolorosae apud Mook, servatis omnibus de iure servandis, juxta tenorem Rescripti.

Romae, die 15 octobris 1930.

LUCAS A VIRGINE POMPEIANA  
*1.us Consultor Delegat.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM.

SUMMUS PONTIFEX E.MUM CARD. RAPHAELEM CAROLUM ROSSI  
DEPUTAT RELATOREM IN CAUSA SERVI DEI P. CAROLI A S. AN-  
DREA.

N. D. 99/930

DUBLINEN. SEU RUREMONDEN.

*Beatificationis et Canonizationis Servi Dei P. CAROLI A S. AN-  
DREA Sacerdotis Professi e Congregatione Passionis D. N.  
J. C.*

Quum apud Sacram Rituum Congregationem pertractanda sit Causa Beatificationis et Canonizationis praefati Servi Dei Caroli a S. Andrea, sacerdotis professi e Congregatione Passionis Domini Nostri Jesu Christi, cuius Processus Ordinarii super fama sanctitatis et super scriptis perquisitis huic Sacro Ordini exhibiti sunt, Rev.mus P. Aegidius a Sacris Cordibus eiusdem Congregationis et Causae Postulator Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam XI suppliciter exoravit, ut aliquem ex Eminentissimis Patribus Sacrae Rituum Congregationis in ipsius Causae Relatorem seu Ponentem eligere ac deputare dignaretur.

Sanctitas porro Sua his precibus a R. P. D. Salvatore Natucci Fidei promotore generali relatis libenter annuens, Eminentissimum ac Reverendissimum Dominum Raphaellem Carolum Cardinalem Rossi in memoratae Causae Relatorem seu Ponentem cum facultatibus necessariis et opportunis elegit ac deputavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 15 octobris 1930.

L. ✠ S.

C. Card. LAURENTI, S. R. C. Praefectus.

ALFONSUS CARINCI, S. R. C. Secretarius.

## SACRA POENITENTIARIA APOSTOLICA

(*Officium de Indulgentiis*).

### I.

INDULGENTIAE PLENARIAE ET PARTIALES CONCEDUNTUR VISITANTIBUS SIMULACRUM SS. CRUCIFIXI IN AEDICULA APUD RECESSUM « ENNISKILLEN ».

3244/30

*Beatissime Pater,*

Rector Recessus S. Gabrielis apud Enniskillen in Hibernia, Congregationis SS. mae Crucis et Passionis D. N. J. C., ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter petit sequentes Indulgentias:

I. *Plenariam*, diebus festis Inventionis et Exaltationis SS. mae Crucis, B. Mariae V. Perdolentis, S. Joannis Evang. et S. Mariae Magd. Poenitentis, suetis sub conditionibus, lucrandam a Christifidelibus, qui aediculam apud praefatum Recessum erectam ibique expositum simulacrum SS. Crucifixi visitaverint et *Pater, Ave* et *Gloria* devote recitaverint;

II. *Partialem trecentorum dierum* toties a Christifidelibus acquirendam quoties praedictam visitationem et orationem saltem corde contrito peregerint.

Et Deus etc....

DIE 1 SEPTEMBRIS 1930.

Sacra Poenitentiaria Apostolica benigne annuit pro gratia iuxta preces ad septennium. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

J. TEODORI, *Secretarius.*

S. DE ANGELIS, *Substitutus.*

## II.

PLENARIAE ET PARTIALES INDULGENTIAE CONCEDUNTUR CHRISTIFIDELIBUS QUI TURMATIM AUT SINGILLATIM ECCLESIAM RECESSUS APUD « SUTTON » VISITAVERINT.

3351/30

*Beatissime Pater,*

Rector Ecclesiae adnexae Recessui Congregationis Clericorum exalceatorum SS. mae Crucis et Passionis D. N. J. C. apud « Sutton » in Anglia, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter petit sequentes Indulgentias: I. *Plenariam*, quolibet die lucranda a christifidelibus confessis ac S. Synaxi refectis, qui ad praefatam ecclesiam visitandam turmatim peregrinati fuerint, et ad mentem Summi Pontificis preces fuderint; II. *partialem* septem annorum totidemque quadragenarum, a fidelibus semel in die acquirendam, si saltem corde contrito hoc egerint.

Et Deus etc.

---

DIE 7 OCTOBRIS 1930.

SACRA POENITENTIARIA APOSTOLICA benigne annuit pro gratia iuxta preces ad septennium. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

S. LUZIO, *S. Poen. Regens.*

J. CURATOLA, *S. Poenit. Officialis.*

III.

3351/30

*Beatissime Pater,*

Rector ecclesiae adnexae Recessui Congregationis Clericorum excalceatorum SS. mae Crucis et Passionis D. N. J. C. apud « Sutton » in Anglia, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter petit sequentes Indulgentias:

I. *Plenariam quotidianam* ad normam Can. 921 § 3 lucranda a christifidelibus confessis ac S. Synaxi refectis, qui praefatam ecclesiam devote visitaverint et ad mentem Summi Pontificis preces fuderint: II. *Partialem* septem annorum totidemque quadragenarum a fidelibus semel in die saltem corde contrito acquirendam, si memoratam visitationem et orationem peregerint.

Et Deus etc.....

---

DIE 7 OCTOBRIS 1930.

SACRA POENITENTIARIA APOSTOLICA benigne annuit pro gratia iuxta preces ad septennium. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

S. LUZIO, S. Poen. Regens.

J. CURATOLA, S. Poenit. Officialis.

---



# ACTA CURIAE GENERALIS

## I.

### REDITUS REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS.

R. mus P. Generalis Leo a S. Corde Jesu, postquam Capitulo Provinciae Australianaë praefuit, ibique canonicam Recessuum visitationem peregit, ad sedem suam, Deo favente ac plaudentibus Sodalibus Recessus SS. Joannis et Pauli, est reversus die 27 Septembris.

## II.

### Indicatur Capitulum Generale XXXIII Congr. Nostrae

#### LEO A S. CORDE JESU

CONGREGATIONIS A SS. CRUCE ET PASSIONE DOMINI NOSTRI J. C.

#### PRAEPOSITUS GENERALIS

*Superioribus et Sodalibus universis  
salutem et pacem in Domino.*

Sextus fere jam effluxit annus ex quo, licet immeriti, ad universam Congregationem regendam constituti fuimus, hisque litteris Generalia Comitia, juxta Regularum praescriptum, convocanda suscipimus.

Equidem « cito pede labitur aetas » (1) et « fugit irrepabile tempus » (2), uti quidam cecinere poëtae, non ita tamen quin indelebile derelinquat vestigium, sive in rebus sive in hominibus, quorum praesens aspectus praeteritas exprimit vicissitudines et hodiernus status propriae historiae exhibet synthesim. Hinc quidam philosophus dicere potuit « tempus praesens

---

(1) OVID. — (2) VIRGILIUS.

praeteriti plenum esse ac gravidum futuri » (3). Verum, dum tempus elapsum dominium nostrum effugit, « nihil enim, ait S. Augustinus, de praeterito revocatur » (4), futurum, e contra, aliquo modo est in nostra potestate, quia « Deus relinquit hominem in manu consilii sui » (5). Ex quibus praemissis maximum Comitiorum Generalium momentum ostenditur, cum ex his Superiores prodire debeant quorum erit moderare Congregationis sortem futuram, et ex quorum electione « omnis regularis disciplinae bonum pendet » (6), sicut Divus Fundator noster in quadam epistola scripsit pro Capituli Generalis convocatione.

Patrum Vocalium bona voluntas et recta intentio ad tantum onus implendum satis profecto non erunt, sine speciali Divini Spiritus adsistentia, nam, juxta S. Patris nostri sententiam, « Spiritu Sancto afflati, ad vaticinandum in Domino vocati sunt » (7), quatenus nempe divina consilia interpretari debent, tum illum deligendo qui, ut in Regulis ponitur, « habebitur vice Christi » (8), tum eos qui subsidiariam eidem operam praestent. Quapropter, « ut quod multiplicitate supplicatione poscitur, multiplicitate Patronorum intercessione tutius impetretur », juxta alia Divi Fundatoris verba (9), praeter triduanas supplicationes in Regulis praescriptas solent aliae preces fieri, « a die indictorum Comitiorum ad eam qua habebuntur » (10).

Virtute igitur praesentium Capitulum Generale XXXIII indicimus, Romae habendum, in hoc Recessu SS. Joannis et Pauli, die 30 aprilis, anni 1931, et ad illud convocamus quotquot ex nostris juxta Regulas jure suffragii in Comitibus Generalibus gaudent, qui saltem vespere die 29 aprilis hic adsint oportet. A receptione autem hujus nostrae epistolae usque ad diem 29 aprilis inclusive, quotidie, in omnibus Congregationis Recessibus, initio vespertinae orationis, sequentes preces recitentur: Veni Creator; Litaniae Lauretanae, addita respectiva oratione B. M. V. et orationibus S. Michaelis Arch., S. Joseph, S. Pauli a Cruce, S. Gabrielis et B. V. Strambi. Triduana vero supplicatio ad normam Ritualis nostri habeatur, diebus 30 aprilis, 1 et 2 maii,

---

(3) LEIBNITZ. — (4) *In Psalm. XXXVIII*, v. 6. — (5) *Eccli. xv*, 14. — (6) *Lettere*, IV, p. 242. — (7) *Lettere*, IV, p. 242. — (8) N° 251. — (9) *Lettere*, IV, p. 233. — (10) *Ibid.* p. 243.

qua perdurante, Sacerdotes dum Sacra faciunt, Clerici et Fratres in SS. Eucharistia sumenda, rem Domino commendent.

Ut antiqua fert consuetudo, singuli Provinciarum Praepositi ad Capitulum deferant declarationem a se subscriptam de diligenti Archivii custodia et de vigilantia quoad missarum celebrationem. Et quoniam hic SS. Joannis et Pauli Recessus tempore Capituli non exiguas expensas sustinere debet, Patres Provinciales rogantur ut aliquid offerant juxta S. Regulae caput XXX.

Sed hac impleta nostri muneris parte, antequam finem his litteris imponamus, nobis liceat aliquid addere, ut gratum animi erga Deum ostendamus propter beneficia Congregationi, hoc sexennio, conlata, et erga Sodales omnes ob affectum benevolentiae et submissionis nobis exhibitum. Ad beneficia quod attinet, in communem consolationem recolere iuvat uberes coelestes benedictiones, quibus clementissimus Deus etiam hoc sexennio Congregationem nostram cumulavit: domum natalem S. Pauli a Cruce Congregationis custodiae commissam; Recessum SS. Joannis et Pauli, vi pacti Lateranensis, speciali immunitate donatum et sub S. Sedis tutela constitutum; campum apostolatus nostri ad Austriam, Columbianam, Boliviam, Venezuelam et Congum Belgicum feliciter extensum; laudem nostram ac nomen in missionibus sive apud fideles sive apud infideles universaliter firmatum aut auctum; vocationum numerum et professionum notabiliter multiplicatum; amorem denique erga Congregationem, ut Capitulorum aut sacrae Visitationis tempore cum gaudio notavimus, omnium Provinciarum animantem Sodales, qui non solum sciunt et gloriantur se ad nobilissimam ex Ecclesiae religionibus pertinere, sibi què aptari posse illud Tobiae « ex magno genere es tu » (11), sed etiam spirituali suae nobilitati vitam conformare satagunt.

His divinis consiliis supra Congregationem nostram, omni studio et labore, quantum in nobis erat, obsequi et secundare nunquam intermisimus. Quo exitu id obiverimus nostrum non est iudicare. Quae vero nobis fuerit mens et propositum satis abunde declaravimus, sive in epistolis ad universam Congregatio-

---

(11) Tob. v, 19.

nem aut ad particulares Provincias directis, sive in exhortationibus, occasione praesertim Capitulorum aut sacrae visitationis habitis, sive tandem « opportune et importune » in quibusvis aliis rerum adiunctis. Mentionem praecipue facere liceat de litteris super spiritu Congregationis nostrae (12), de quarto voto adimplendo (13), de studiis in genere (14) et de studio Passionis in particulari (15). Non minus sollicitudinum quam praelaturae S. Pauli a Cruce haeredes nosmetipsos considerantes, omni cura et studio contendimus, ut spiritualem haereditatem nobis commissam, sine detrimento successoribus transmitteremus. Quod ideo repetere voluimus (16), ne errori circa principia aut minori affectui erga Congregationem tribuatur, si quandoque ab inito proposito contra voluntatem fortasse defecimus.

Interim facere non possumus quin maximas Domino pro memoratis ejus beneficiis gratias reddamus. Grati animi sensus etiam ostendere cupimus erga Curiae Generalis Viros, qui nobiscum « cor unum et anima una » fuerunt in Congregationis bonum promovendum. Provinciales denique, Superiores et Sodalibus omnes grato animo prosequimur ob affectum, reverentiam et observantiam nobis in quibuslibet circumstantiis exhibitam, et ab omnibus veniam precamur si quandoque illud dictum: « regere est displicere » nolentes confirmavimus.

Denique coelestium benedictionum abundantiam super vos et nos implorantes, humiles nostras supplicationes ad pedes Divini Infantis deponimus, ut Capitulum proxime celebrandum meliorem habeat exitum, pro temporali et spirituali Congregationis nostrae prosperitate et incremento.

Datum Romae, ex Recessu SS. Joannis et Pauli, die Nativitatis Domini, 1930.

LEO A S. C. J., *Praepositus Generalis*.

PETRUS A PRETIOSISSIMO SANGUINE, *Secretarius*.

---

Haec epistola lingua latina aut vernacula publice legatur.

---

(12) *Bollettino*, 1926, p. 1 sq.; 1927, p. 225 sq. — (13) *Bollettino*, 1926, p. 100 sq. — (14) *Bollettino*, 1928, p. 68 sq. — (15) *Acta Congr.*, 1930, p. 5 sq. — (16) cf. *Bollettino*, 1927, p. 225.

### III.

#### COMMUNICATIO DE DIE DOMINICO MISSIONALI CELEBRANDO (1).

*Admodum Rev. Pater,*

Jam inde a quatuor annis, SS. mus D. N. Pius Papa XI ad Opus Pontificium pro Missionibus propagandum solidiusque firmandum, diem dominicum missionalem quotannis, maxima solemnitate celebrandum edixit, eiusque celebrationem dominicae penultimae mensis octobris assignavit.

Quam opportuna et Missionibus apprime utilis dicta celebratio contigerit, ex commendationibus apparet, quibus etiam hoc anno tum Consilium Superius tum ipsamet S. Congregatio de Propaganda Fide, omnibus Ordinariis et Religionum Superioribus, datis litteris, instant, ut curam omnem adhibeant, quo dies missionalis uberiores fructus prae se ferat.

His igitur votis obsecundantes, vehementer optamus ut etiam Congregationis nostrae Sodales et praecipue Superiores dent operam, ut in nostris Ecclesiis dies missionalis, qui die 19 huius mensis recurrit, precibus, concionibus et sacris functionibus celebretur. Normae huius celebrationis, iam superioribus annis statutae et in Ephemeride nostra publicatae, ad sequentes reducuntur:

1) Ubi Ordinarius loci normas peculiare statuerit, easdem, quantum fieri potest, Religiosi quoque nostri servabunt.

2) Si nullae ab Ordinario normae statutae fuerint, quae sequuntur servari debent: a) In praecipuis Missis illius diei, collectae pro Missionibus fiant. b) Hora maioris populi frequentiae, concio habeatur, qua fideles hortentur praecipue ad Opus Pontificium pro Missionibus adjuvandum. c) Mane vel vespere, per integram horam SS. mum Eucharistiae Sacramentum exponatur,

---

(1) Haec R. mi Praepositi Generalis epistola, tempore utili, ad omnes Superiores Congregationis transmissa fuit.

et preces fundantur ad mentem Summi Pontificis, additis etiam cum cantu Litanis Sanctorum vel B. Mariae Virginis.

Pecunias vero omnes ex inscriptionibus Pontificio Operi et ex collectis perceptas ad sedem dioecesanam operis a Propagatione Fidei Superiores mittant simulque Secretarium Generalem Missionum certiores faciant de earumdem summis, juxta normam in Ephemeride Congregationis relatum anno 1928, pag. 60 n. 3.

Datum Romae, ex Recessu SS. Joannis et Pauli die 1. octobris 1930.

LEO A S. C. J., *Praevos. General. C. P.*

#### IV.

INDICUNTUR PRECES PRO CONGREGATIONE AD INTRODUCENDAM CAUSAM BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVI DEI P. JOANNIS BAPTISTAE A S. MICHAELE ARCHANGELO.

*Adm. Rev. P. Rector (1),*

Pergratum nobis est Rev. Tuae nunciare quod die nona proximi mensis decembris apud S. Rituum Congregationem coetus habebitur Eminentissimorum Cardinalium, qui sacris Ritibus tuendis praepositi sunt, una cum Praelatis Officialibus eiusdem S. Congregationis, pro introducenda Causa beatificationis et Canonizationis Servi Dei P. JOANNIS BAPTISTAE A S. MICHAELE ARCHANGELO.

Cum agatur de germano fratre S. Patris Nostri Pauli a Cruce, qui ipsum habuit socium et adiutorem individuum in condenda Sodalitate nostra, adeo ut Confundatoris nomine rite condecorari possit, nec non virtutum heroicarum aemulatorem absolutum, dubium ullum fovere non possumus, quin omnium sodalium a Passione haec Causa valde cordi extet.

---

(1) Etiam haec secunda epistola R.mi Patris, tempore utili, ad omnes Congregationis Rectores transmissa fuit.

Quapropter eam commendamus orationibus vestris; atque mandamus ut, quemadmodum alias a nostris praedecessoribus peractum fuisse novimus, in eodem negotio, aliqua supplicatio ad Deum fiat pro felici exitu dictae Causae. Huiusce rei gratia decernimus ut diebus quinta, sexta et septima decembris, tempore orationis vespertinae, in Ecclesia SS. Eucharistia adorationi exponatur; et post cantum Hymni Veni Creator, nec non recitationem Litaniarum Sanctorum cum orationibus propriis, eucharistica Benedictio impertiatur. Mane diei 9 decembris universi clerici et fratres ad hunc effectum Sanctam Communionem peragant.

Interim cunctis coeli muneribus R.am Tuam et religiosam familiam Deus ditet, nobisque per preces vestras in omnibus faveat.

L. ✠ S.

Romae ad SS. Joannis et Pauli, die 14 novembris 1930.

LEO A S. CORDE, *Praep. Gen.*

PETRUS A PRETIOSISSIMO SANGUINE, *Secretarius.*

## S. RITUUM CONGREGATIO.

Revera die 9 decembris in Aedibus Vaticanis habita est Congregatio ordinaria sacrorum Rituum, in qua E.mi ac R.mi Patres Cardinales S. R. C. praepositi, referente E.mo D.no Cardinali ponente Alexandro Verde, decreverunt Causam Beatificationis et Canonizationis Servi Dei *Joannis Baptistae a S. Michaele Archangelo C. P.* introducendam esse, si SS.mo Domino placuerit. Et die sequenti Summus Pontifex hanc sententiam ratam habuit ac confirmavit. Ita preces nostrae plene a Deo exauditae sunt.

V.

**Determinantur licentiae requisitae pro expensis et debitis faciendis aut permittendis, juxta Regularum praescriptum. (nn. 102 et 103).**

In executione novissimae praescriptionis quae in Regulis habetur, vi cuius Curiae Generali munus tribuitur determinandi licentias tam pro expensis, quam pro alienationibus et debitis contrahendis requisitas, in iis casibus in quibus beneplacitum Apostolicum necessarium non fuerit, in plenario eiusdem Curiae coetu sub die 15 decembris 1930, omnibus ad rem facientibus maturo consilio perpensis, haec quae sequuntur statuta sunt:

1) In summis determinandis principium illud servatum est, iam in Statutis nostris (n. 198) quoad domesticam nostram administrationem sancitum, quo quaelibet pecuniae summa aestimanda est iuxta *unitatem monetariam nationalem* cuiusvis regionis (lira, franco, peseta, reichsmark, fiorino, dollar etc.), quae infra indicari censetur litteris U. M. N., iis tantum nationibus exceptis, ut Anglia et Australia, ubi libra anglicana (Sterling) *unitatem monetariam* constituit, in quibus ea librarum summa statuta intelligitur, quae summis Statuum Foederatorum Amer. Sep. correspondet.

2) Ut constans et unica norma pro omnibus Provinciis habeatur, in qualibet summa valor aureus semper attendi debet; hinc in nationibus quae pecuniam chartaceam habent infra valorem nummi aurei, summae inferius notatae multiplicandae sunt iuxta valorem aureum respectivae nationis (ex gr. quater nostris diebus, in Italia) ut habeatur summa in pecunia chartacea permissa.

3) Quoties ad actus administrationis, ex normis inferius positis, consensus sive Capituli sive Curiae requiritur, iste in coetu rite convocato secretisque suffragiis manifestandus est, atque de eo debet per legitimam scripturam constare.



4) Ad debita quod attinet, in summis infra positus computari debent etiam alia debita quibus Recessus iam gravatur.

His praehabitis, sequentes summae statutae sunt:

I.

PRO EXPENSIS ET DEBITIS ADMINISTRATIONIS LOCALIS.

Rector cum suo Vicario sumptus *insuetos* facere et debitum contrahere potest usque ad summam viginti quinque U. M. N.; cum consensu Capituli localis, usque ad ducentas viginti quinque U. M. N.; accedente insuper consensu Curiae Provincialis, usque ad summam quinque millium U. M. N.

Pro maiori summa necessaria quoque est licentia Curiae Generalis per Praepositum Provinciale requirenda, atque etiam licentia Apostolicae Sedis si agatur de debitis ultra summam triginta millium libellarum seu francorum ad normam canonis 534.

II.

PRO EXPENSIS ADMINISTRATIONIS PROVINCIALIS.

Praepositus Provincialis cum suo Oecono expensas facere potest usque ad ducentas viginti quinque U. M. N.; cum consensu autem suorum Consultorum, usque ad summam quinque millium U. M. N. (1).

Ultra hanc summam accedat necesse est consensus Curiae Generalis.

---

(1) Haec facultatis limitatio quoad expensas a Praepositis Provincialibus faciendas, in nostra Congregatione nova non est; nam Capitulum Generale XI iam praescripsit ne ullus sive Provincialis sive etiam Generalis expensas suo arbitrio faceret, ultra summam quadraginta scutorum.

Quae omnia utpote auctoritativae Regularum determinationes in materia voti paupertatis, vim praeceptivam habent et analogam obligationem inducunt. Quo autem dictae determinationes clarius innotescant sequenti schemate compendio exhibentur.

Facultatem habent:

I. — *Pro expensis et debitis administrationis localis.*

- |   |               |
|---|---------------|
| 1. Rector cum suo Vicario usque ad . . .                    | 25 U. M. N.   |
| 2. Rector cum consensu Capituli loc. . . .                  | 250 U. M. N.  |
| 3. Rector cum consensu Cap. loc. et Curiae<br>Prov. . . . . | 5000 U. M. N. |

II. — *Pro expensis administrationis provincialis.*

- |   |               |
|---|---------------|
| 1. Praep. Prov. cum suo Oeconomo usque ad | 250 U. M. N.  |
| 2. Praep. Prov. cum suo Consilio usque ad | 5000 U. M. N. |

VI.

SODALIBUS NOSTRIS E PROVINCIA S. GABRIELIS A VIRGINE DOLOROSA PARS VICARIATUS DE KASSAI SUPERIORE IN CONGO BELGICO EVANGELIZANDA DESTINATUR.

Superioribus ac Sodalibus Provinciae Belgicae a S. Gabriele dudum erat in votis Missionem in Congo belgico constituendi ut etiam in illis infidelium Africae centralis regionibus Congregatio nostra suas sedes obtineret et ad lumen veritatis et Jesu Crucifixi amorem et devotionem miseros Afros traheret. His laudabilibus votis veluti obviam fuit Sacra Congregatio Christiano nomine propagando, cum, paucis ante annis, curam et studium Superiorum nostrorum excitavit, ut aliquam Missionem in Congo suscipere vellent. Hoc divinae voluntatis documentum magis ma-

gisque zelum promovit Superiorum praefatae Provinciae qui, iteratis votis ultimi Capituli Provincialis plene obsecundantes, cum Vicario Apostolico de Kassai Superiore Congregationis Cordis Immaculati B. M. V., de ineunda Missione agere coeperunt. Porro Excellentissimus Vir propositum nostrum peramanter et libenti animo excipiens, favorabilibus conditionibus, portionem quandam dicti Vicariatus ab incolis « de Batetelas » nuncupatam, nostris apostolicis laboribus excolendam praesignavit. De his omnibus ad S. Congregationem de Propaganda Fide, per Praepositum Generalem relatione exhibita, Eminentissimus Cardinalis Praefectus eiusdem S. Congregationis, datis litteris, sua auctoritate omnia firmavit, atque Sodales nostros in illam novam Missionem mox profecturos benignissimis votis prosequutus est.

S. CONGREGAZIONE « DE PROPAGANDA FIDE »

(*Protocollo N. 3955/30*).

*Roma, 7 Novembre 1930.*

*Rev.mo Padre,*

Mi è regolarmente pervenuto il foglio della P. V. Rev.ma, in data 7 corr. mese col quale Ella, mentre comunica che Monsignor Declerq, Vicario Apostolico del Kassai (Congo Belga) è disposto a cedere alle cure dei Padri della Provincia belga della sua Congregazione la regione dei Batetelas per ivi incominciare il lavoro missionario, chiede in proposito la necessaria autorizzazione.

Al riguardo mi reco a premura comunicarle che questa Sacra Congregazione di Propaganda ha appreso col più vivo compiacimento tale notizia, e che ben volentieri concede il richiesto permesso affinché i Padri designati per la nuova missione possano quanto prima recarsi colà.

I medesimi eserciteranno ora il sacro ministero sotto la giurisdizione del detto Vicario Apostolico. Col tempo poi, quando

cioè i Padri saranno più numerosi e le opere saranno maggiormente sviluppate, si penserà a erigere quel territorio in missione indipendente da affidarsi ai Passionisti della Provincia Belga.

Sono sicuro che i Figli dell'Apostolo S. Paolo della Croce, seguendo le orme del loro inclito Fondatore, lavoreranno con massimo zelo e con lodevole diligenza nella nuova opera di evangelizzazione, e auguro ai medesimi le celesti benedizioni del Cielo, facendo i più fervidi voti per un proficuo lavoro missionario.

Con sensi di distinta stima mi professo

Della P. V. Rev.ma devotissima nel Signore  
G. Card. v. ROSSUM, *Pref.*

† CARLO Arciv. SALOTTI, *Segret.*

*Joye* *Weetjens*  
His acceptis litteris, rebusque necessariis sine mora dispositis, RR. Patres Georgius a S. Corde Jesu et Benedictus a SS. Eucharistia iter maritimum arripuerunt novae Missionis sedem ingressuri ut aliis Missionariis viam praeparent, ac divinissimo operi fidei dilatandae sese totos devoveant. Eos itaque cunctorum Sodalium orationibus commendatos nos cupimus, dum iisdem bene precamur ut sub Crucis vexillo, uti strenui milites Christi cum antiquo serpente pugnantes, in evangelizatione infidelium uberrimos fructus capiant.

## VII.

DE SOLVENDO PRETIO SUBNOTATIONIS AD « ACTA CONGREGATIONIS  
NOSTRAE ».

Cum iuxta novum programma non amplius duodecim sed quatuor tantum fascicula sint per annum ordinario edenda, pretium annuae subnotationis pro quolibet *actorum* exemplari ad decem libellas pro Italia, ad quindecim vero, attento maiori vecturae pretio, pro exteris nationibus reducitur.

Ut autem statuti pretii solutio faciliter reddatur et incommoda vitentur quae facile oriri possunt ex necessitate ad singulos subnotatores in particulari recurrenti, haec Actorum Directio Praepositum Provinciale uniuscuiusque Provinciae etiam atque etiam rogat ut velit suum quisque Oeconomum veluti procuratorem omnium subnotatorum respectivae Provinciae constituere, qui, acceptis ab hac Directione singulis eorundem nominibus, pretium pro iisdem una simul persolvat.

Nonnullae Provinciae solent pretio subnotationis numerata pecunia satisfacere, quem expeditiorem agendi modum, si et aliae sequerentur, optimum foret. Nihilominus si qui velint pro subnotatione Intentiones Missarum recipere, eas per eundem Oeconomum Provinciale ab hac Directione petere possunt.

---

*Rev.mi P. Praep. Generalis Epistola « de Studio Passionis », iterum, commodiore forma, impressa, petentibus prostat apud P. Secretarium Generalem.*

# CHRONICA CONGREGATIONIS NOSTRAE

---

## I.

### UVADA!

Periucundum nobis est optatissimum nuntium Sodalibus nostris afferre: die 18 Octobris proxime elapsi divino cultui solemniter dicatam fuisse domum Uvadensem S. Patris Nostri Legiferi. Eventus, quamvis optime praeparatus, vere dici potest omnem spem superasse. Ingens populi concursus; ipse Episcopus dioecesanus, Exc.mus ac Rev.mus Dominus Laurentius Del Ponte, praesesse voluit sacrae festivitati, delectis comitatus canonicis Ecclesiae cathedralis; adfuit etiam Rev.mus noster Praepositus Generalis cum aliquibus Consultoribus, adfuit integra Curia Provinciae e Purissimo Corde B.<sup>ae</sup> Mariae Virginis, necnon alii Superiores pluresque Religiosi eiusdem Provinciae.

In pervigilio, hora septima vespertina cum dimidio, quae statuta erat pro solempni domus benedictione, Roma adveniebant Superiores nostri. Initur pompa ab Ecclesia paroeciali cum Exc.mo Episcopo, veniunt e sua sede praesides civiles, praecunte vexillo civitatis, templorum aera vi summa sonant, urbs collucet innumeris luminibus. Domum primores tantum ingrediuntur, dum populi multitudo forum contiguum replet. Egregium spectaculum! Omnium oculi laetitiam exprimunt vivumque desiderium ingrediendi tandem beatam illam domum.

Interim Vice-Praeses civitatis e fenestra sacelli, quod est in ipsa domo, populum allocutus est: optimo iure illum gaudere, cum ageretur de faustissimo eventu qui Uvadae gloriam maxime augetet. Plurimam salutem nuntiavit illustrissimis viris qui aderant, praecipue Superioribus Congregationis nostrae, quod tot sacrificiis tamque admirabili constantia Uvadensi civitati diem illam festivam comparassent.

Quae verba magno clamore consensuque populi excepta sunt.

Mox e fenestra sermonem habuit Exc.mus Episcopus: plurimi vere existimandum donum a Deo concessum fidelibus Uvadensibus religiose colendi domum, quam praeclarissimus Civis suis virtutibus decorasset; valde optabile esse ut domus, super quam divina benedictio iam iam descenderet, amore et pietate Uvadensium civium benedicere-

tur, et non solum obiectum gloriae, sed etiam iis foret centrum vitae religiosae.

Postea populo benedixit et ritum sacrum perfecit, aqua lustrali aspergendo sacellum et diversa domus cubicula.

Iterum instituitur pompa Ecclesiam versus, ubi grates ab omnibus Deo persolvuntur et benedictio Eucharistica ab Exc.mo Episcopo fidelibus impertitur.

Domus S. Pauli populo iam patebat, et incredibilis fuit numerus piorum invisentium, qui sibi invicem succedebant usque ad mediam noctem et ultra.

Die decima octava, qua in tota dioecesi Aquensi quotannis celebratur festum S. Patris Nostri Legiferi, maior fuit populi frequentia, ita ut ab hora quinta matutina ad multam noctem plena semper esset domus. In eiusdem sacello plures Missae celebratae sunt, plurimique Christifideles coelesti dape refecti.

Quis dicat quot millia hominum beatam domum die illa inviserint? Hoc unum affirmari potest: communem fuisse omnibus intimam cordis venerationem erga coelestem Patronum. Hinc devote fundere preces ante altare, summa animi reverentia res tangere quae ad Eum relationem habuerint, deosculari sacros parietes; nec unquam satiari videndo et mirando.

Iusta sane eorum gloria tantum habere Civem.

Eadem die in Ecclesia paroeiali magnificentissime ornata sacrum solemni ritu fecit unus e Consultoribus nostris Generalibus, assistente Exc.mo Episcopo; alius autem Consultor sermonem habuit.

Festivitas culmen attingit quando per urbem simulacrum S. Pauli a Cruce in pompa sub vesperam portatum est: aderat Exc.mus Episcopus cum clero saeculari et Ordinibus religiosis urbis; aderant omnes Sodales nostri e vicino Recessu Molariensi, sacra Sodalitia et coetus catholici vexilla ferentes. Nemo, nisi viderit, huius rei imaginem animo concipere potest.

Ante domum S. Pauli constitit simulacrum, et e fenestra domus ingentem multitudinem idem Consultor, qui sermonem in Ecclesia habuerat, fervide est allocutus: Uvadensium vota non minus ac Sodalium a Christi Passione esse tandem impleta: S. Paulum a Cruce iterum domum suam habitare, quae Eum viderit nascentem, quam Ille per quindecim annos virtutibus consecraverit. Oportere ut domus illa, veluti anulus, uniat cives Uvadenses non tantum cum S. Paulo a Cruce, sed etiam cum Eius filiis, qui ubique terrarum quodammodo se existiment Uvadenses et summo desiderio ad patriam Eius trahantur. Congrega-

tionem nostram, dum magis magisque in dies extendatur, simul diffundere Uvadae nomen, ubi Paulus a Cruce, Legifer ac Pater dulcissimus, ortum habuerit. Deo et glorioso Patri nostro gratias egit, gratumque se praebuit Praesidibus ecclesiasticis ac civilibus de efficaci cooperatione, universae civitati de benignis largitionibus. In votis esse ut domus natalis S. Pauli fiat schola domesticarum virtutum, sanctuarium pietatis, terminus piarum peregrinationum.

Finito sermone, simulacrum S. Pauli aliquantulum inflectitur, quasi ad salutandam domum, et pompa prosequitur.

Iterum noctu lumina urbem collustrant, dum musici concentus animos delectant.

Non minor fuit populi frequentia altera die, quae in dominicam incidit, praesertim ob multitudinem peregrinorum Aquis et Genua advenientium, ita ut plurima nomina inscripta sint in albo domi exposito, virorum etiam illustrium.

Superfluum est addere quo plausu ephemerides Genuenses et Aquenses eventum celeberrimum, quibus laudibus extulerint domus S. Pauli instaurationem et ornatum, festivitatis felices exitus, populi ardorem.

In eleganti volumine « *Il più bel fiore di Ovada* », ista occasione edito, accurate domus Uvadensis describitur; gratum tamen et acceptum erit Sodalibus si aliquid quam brevissime de ea dicamus.

Domus duo habet tabulata et amplum coenaculum (*soffitta*). Curatum est imprimis ut sive exterius sive interius in pristinam formam restitueretur: parietes in sua rusticitate relictis, laquearium trabes detecti, lateres pavimenti vel antiqui vel ad antiquorum imitationem confecti, fenestrae valvis et fragmentis vitreis obductae iuxta mores saeculi XVII. Praecipua domus pars secundum tabulatum occupat, ubi est cubiculum, nunc in sacellum conversum, in quo iuxta constantem traditionem natus est S. Legifer noster. Hoc explicat inscriptio ianuae superposita:

QUI

TRA I FULGORI DI LUCE ARCANO  
LA NOTTE DEL 3 GENNAIO 1694

NACQUE

S. PAOLO DELLA CROCE

Ibi erectum est magnificentum altare marmoreum exhibens imaginem S. Pauli in argilla depictam et sacrarum reliquiarum thecam mirabili arte exsculptam. Ornant parietes magna effigies Iesu de cruce



pendentis; tabulae pictae S. Paulum repraesentantes vel inter amplexus Crucifixi, vel ab Angelis e terra sublaturum, vel extremum spiritum efflantem; duo emblemata Passionis thecis oclusa, quorum unum S. Paulus supra pectus gestavit, alterum eius frater P. Ioannes Baptista a S. Michaële Archangelo.

Duo alia cubicula efformant museum Paulinum, iuxta mentem regii decreti domum hanc nobis vindicantis.

Primum est quasi vestibulum ad sacellum; statimque apparet ingrediendi vetus caminus, supra quem depictum est insigne familiae Daneo: praeter alia ibi est sacer fons antiquae Ecclesiae paroecialis, sella qua Romae utebatur S. Paulus ultimis annis vitae suae, tres tabulae pulcherrime depictae a Ioanne Baptista Conti, S. Pauli nativitatem et infantiam illustrantes.

Inde duplex patet aditus ad sacellum, et hinc ad aliud cubiculum, ubi notatu digna est effigies Servi Dei P. Ioannis Baptistae, duae epistolae S. Pauli sua manu scriptae, bibliotheca Paulina, cuius praecipuum locum occupant quatuor volumina epistolarum Eius, duo armaria pluribus instructa rebus, quae ad S. Pauli familiam relationem habent, plastica reproductio Basilicae et recessus SS. Ioannis et Pauli, ubi S. Legifer Noster e vita migravit, Eiusque exuviae religiosissime asservantur: est opus Iosephi Marcelliani, praeclari archaeologi Romani.

Utque facilius recolantur virtutes S. Pauli adhuc pueri, poenitentia praesertim et spiritus orationis, in superiori coenaculo datum est conspicere asperrimum cubile ex nudis tabulis et lateribus pro pulvinari; ara parva cum imagine divini Infantis, ante quam puer orare solebat, flagellum quo tenera membra caedebat, cucurbita ubi fel recondebat.

Sine dubio domus Uvadensis ab omnibus filiis S. Pauli a Cruce iam habetur ut veneratissimum sanctuarium.

## II.

### PROVINCIAE CONGREGATIONIS NOSTRAE.

---

#### PROVINCIA PRAESENTATIONIS B. M. V.

*Professiones temporariae.* — In Recessu S. Iosephi, Argentarii Montis, vota sua temporaria emiserunt, durante anno 1930:

Die 24 Martii, Fratres: *Marius a J. Crucifixo et Michael a V. Per-*

*dolente.* — Die 14 Maii, *Frater Paulus a V. Perdolente.* — Die 11 Julii, *Fratres: Felix a V. Perdolente et Antonius a SS. Cordibus.* — Die 19 Junii, *Confr. Adalbertus a V. Perdolente.* — Die 30 Augusti, *Confratres: Alexander a Jesu Crucifixo, Antonius a V. Perdolente, Thomas a S. Michaelae Archangelo, et Gaudentius a SS.mo Sacramento.* — Die 2 Octobris, *Confratres: Archangelus a V. Perdolente, et Robertus a V. Boni Consilii.* — Die 24 Octobris, *Confratres: Caelestinus ab Immaculata, Candidus ab Immaculata, et Amadeus a Spiritu Sancto.* — Die 7 Decembris, *Frater Joseph a V. Perdolente.*

*Professio perpetua.* — In Recessu S. Michaelis Arc. (Vetralla), die 20 Junii 1930, vota perpetua emisit *Confr. Petrus a V. Perdolente.*

#### PROVINCIA B. M. V. DOLOROSAE.

##### *Damna ex terraemotu tribus nostris Recessibus inlata.*

Hora prima post mediam noctem diei 23 Julii currentis anni vix praeterierat, cum magna Italiae meridionalis regio ingenti motu concussa fuit, et quamplurima oppida immani clade sunt eversa.

Quamvis terraemotus epicentrum — quod vocant — monte Vulture in regione Irporum contigerit; finitimae tamen provinciae, inter quas Beneventana et Neapolitana, in quibus tres nostri Recessus reperiuntur, motu et ipsae horribili percussae sunt, ita ut nonnulla earundem etiam regionum aedificia, aut eversa aut scissa remanserint.

Equidem miserentis Dei beneficio tribuimus si Sodales nostri et Alumni, in tam subito terrae tremore domorumque eversione, incolomes sint servati; dolendum tamen est quod et domus nova in pago Calvensi, in qua degunt Alumni, et Recessus tum ad Airolam tum praesertim ad Neapolim, notabili ex parte, ob murorum disiectionem et contignationum ruinam, inhabitabiles evaserint. Verum, Dei providentia confisi, Superiores illico, forti animo, opus restitutionis sunt aggressi, et adhuc omni ope nituntur ut, muris et contignationibus reffectis, praefati Recessus ad pristinam stabilitatem, pro religiosae familiae habitatione, restituantur.

*Professiones temporariae.* — In Recessu S. Mariae de « Pugliano », durante anno 1930, vota temporaria emiserunt: Die 1 Junii, *Frater Carolus ab Assumpta.* — Die 21 Junii, *Confratres: Alexius a S. Teresa de Puero Jesu, et Gerardus a Jesu Infante.* — Die 29 octobris, *Confratres: Justinus a Passione, et Michael a S. Corde.* — Die 23 Novembris, *Confrater Pancratius ab Angelo Custode.*

PROVINCIA B. M. V. A PIETATE.

*Professiones temporariae.* — In Recessu B. M. V. a Pietate, die 11 Novembris 1930, vota temporaria emis(er)unt *Confratres: Lucas a Cruce, Augustinus a Sacris Cordibus, Petrus Paulus a Virg. Perdolente, Franciscus a Virg. Perdolente, Severinus ab Immaculata, Fulgentius a Jesu et Maria, Vitus a S. Francisco Xaverio, Amidaeus a Corde Jesu.*

PROVINCIA S. JOSEPH.

*Professiones temporariae.* — In Recessu SS. Salvatoris, vota sua temporaria emis(er)unt, die 4 Martii 1930, *Fratres: Malachias a S. Familia, Regis a Maria Immaculata, Leo a Parvo Flore, Owen Maria a Sancta Familia.* — Die autem 19 Octobris, *Confrater Justinus a Matre Dolorosa.*

PROVINCIA S. PAULI A CRUCE.

*Professiones temporariae.* — In Recessu Matris Dolorosae, anno 1930 durante, vota temporaria emis(er)unt: Die 8 Aprilis, *Frater Camillus Maria a Vulneribus Christi.* — Die 15 Augusti, *Confratres: Thaddaeus a Sancta Familia, Lucas a Conceptione Immaculata, Bertinus a S. Michaelae, Bernardus M. a Cordibus Jesu et Mariae, Ignatius a SS. Cordibus, Callistus a Matre Dolorosa, Albertus a Cordibus Jesu et Mariae, Canisius a Cordibus Jesu et Mariae, Haroldus a Regina Sacratissimi Cordis, Gordianus a Maria Immaculata, Hubertus M. a Sancta Familia, Alanus a S. Joseph, Joannes Joseph a S. Familia, Eusebius a Nostra Domina Sacratiss. Cordis, Conradus a Matre Dolorosa, Claudius ab Immaculato Corde Mariae, Ronaldus a Maria, Matthaeus a Maria Adiutrice, Michael Joseph a Maria Immaculata.*

PROVINCIA S. CORDIS B. M. VIRGINIS.

*Professiones temporariae.* — In Recessu S. Gabrielis a V. Perdolente, anno 1930 durante, vota temporaria emis(er)unt: Die 19 Martii, *Fratres: Fortunatus a Domina S. Cassiani et Albinus a Pretiosissimo Sanguine.* — Die 27 Aprilis, *Frater Aloisius ab Immaculata.* — Die 5 Junii, *Frater Felicianus a S. Latere.* — Die 1 Julii, *Frater Pancratius ab Immaculata.* — Die 24 Augusti, *Frater Carolus a S. Gabriele a V. Perdolente.* — Die 9 Septembris, *Confratres: Candidus a S. Joseph, Julianus a V. Perdolente, Nicolaus ab Immaculata, Georgius a S. Jo-*

*seph, Evaristus a Sacris Cordibus, Mauritius ab Auxiliatrice, Marcus Aurelius a N. D. na a SS. Sacramento, Christophorus ab Auxiliatrice, Damianus a V. Perdolente, Camillus a Crucifixo, et Eugenius a S. Gabriele a V. Perdolente. — Die 18 Novembris, Frater Leo a Virg. Perdolente. — Die autem 9 Decembris, Fratres: Laurentius a S. mo Sacramento, et Faustinus a Corde Jesu.*

#### PROVINCIA A LATERE CHRISTI.

*Electio canonica Rectoris Recessus S. Pauli a Cruce (Ceglie Messapico). — Defuncto Adm. R. P. Leonardo a Matre Dei, Rectore memorati Recessus, Curia Provincialis, cum consensu Rev. mi P. Generalis, in eiusdem locum suffecit Adm. R. P. Ambrosium ab Assumpta, die 1 Decembris 1930.*

#### PROVINCIA S. FAMILIAE.

*Professiones temporariae. — In Recessu N. Dominae « del Villar » (Corella), sua vota temporaria emisierunt, die 25 Septembris 1930, Confratres: Eutimius a M. Virgine, Angelus a Pretiosissimo Sanguine, Martialis a Corde Mariae, et Benedictus a S. Michaelae.*

#### PROVINCIA SS. CRUCIS.

*Professiones temporariae. In Recessu SS. Cordis, vota sua temporaria emisierunt, durante anno 1930:*

*Die 15 Februarii, Conf. Alfredus a Matre Dei. — Die 27 Martii, Conf. Jacobus Patritius a Passione. — Die 29 Julii, Confratres: Dionisius M. a S. Joseph, Valterius a Matre Dei, Leo a S. Teresia ab Infante Jesu, et Judas a S. Familia. — Die 8 Augusti, Confr. Gregorius a N. D. a S. Corde. — Die 23 Septembris, Confratres: Franciscus a SS. Cordibus, Gordianus a Corde Mariae, Quintinus a Maria, Flavianus a Jesu Crucifixo, Cuthbertus a Quinque Vulneribus, Matthaeus a S. Familia, Henricus a S. Familia, Nicolaus a V. Perdolente, Hovardus a Passione, et Canisius a V. Perdolente. — Die 11 Julii, Frater Laurentius a V. Perdolente. — Die 20 Augusti, Frater Philippus a Jesu et Maria. — Die 8 Decembr., Frater Valterius a SS. Cordibus.*

PROVINCIA S. GABRIELIS A V. PERDOLENTE.

*Professiones temporariae.* — In Recessu S. Gabrielis, vota temporaria emiserunt: Die 25 Februarii 1930, *Confrater Jacobus a Matre Dolorum*, et die 21 Aprilis, *Frater Alfonsus a Matre Dolorum*.

PROVINCIA SPIRITUS SANCTI.

*Capitulum Provinciale.* — Habitum est a die 21 ad diem 25 Augusti 1930, in Recessu S. Birgittae (Marrickville), eique praefuit R. mus P. Leo a Corde Jesu, Praep. Generalis. Electi autem fuerunt:

in Praep. Provinciae: *P. Jacobus a S. Aloisio*;

in 1. um Consultorem: *P. Franciscus a Septem Doloribus*;

in 2. um Consultorem: *P. Athanasius a Matre Dei*;

in Rectorem Recessus S. Birgittae (Marrickville): *P. Casimirus a S. Corde*;

in Rectorem Recessus Praesentationis B. M. V. (Goulburn): *P. Stephanus a SS. mo Sacramento*;

in Rectorem Recessus S. Pauli a Cruce (Adelaide): *P. Stanislaus a SS. mo Sacramento*;

in Magistrum Novitiorum (Goulburn): *P. Reginaldus a Passione*.

PROVINCIA PRETIOSISSIMI SANGUINIS.

*Professiones temporariae.* — In Recessu S. Joseph (Peñaranda), vota temporaria emiserunt durante anno 1930:

Die 11 Aprilis, *Frater Camillus a S. Joseph*. — Die 5 Maii, *Frater Pompejus a Jesu Crucifixo*. — Die 30 Septembris, *Confratres: Antonius a V. Dolorosa, Stephanus a S. Joseph, Joannes M. a Crucifixo, et Pacificus a Jesu et Maria*. — Die 5 Octobris, *Confratres: Amatus a Virg. Rosarii, Valentinus a V. Dolorosa, Franciscus a SS. mo Sacramento, Joseph M. a Virgine « del Pilar », et Benjamin a Virg. « del Pilar »*.

PROVINCIA MATRIS SANCTAE SPEI.

*Ordinationes sacrae.* — Die 24 Augusti huius anni in Ecclesia Recessus Matris S. Spei (Maria Hoop) Exc. mus ac Rev. mus D. Laurentius Schioppa Internuntius Apostolicus in Hollandia ad sacrum presbyteratus Ordinem promovit sex e nostris iuvenibus, nempe Reverendos Patres *Bertholdum a Corde Languente Jesu et Mariae, Theodorum a*

*Matre Dolorosa, Andream a Matre Dolorosa, Bertrandum a Matre Dolorosa, Adalbertus a SS. Cordibus Jesu et Mariae, Alfredum a Matre Dei.*

Aderant sacrae caeremoniae, praeter confertam populi multitudinem, Perillustris Dom. Waszink urbis Ruremundae praefectus, quondam supremus moderator studiorum, Abbas Trappistarum ex loco vulgo Lilbosch et Adm. Rev. P. Praepositus Provincialis.

Ordinatione peracta, sodales nostri laeto gratoque animo exceperunt Summi Pontificis Legatum, eumque gallica lingua allocutus est Adm. Rev. P. Praepositus Provincialis, ut ei gratias ageret, simulque gaudium suum totiusque communitatis religiosae diceret cum tanto hospite digni habitus essent, qui vices ipsius Papae gerat, suae praesentia in mentem revocet gloriosos viros, qui in Italia orti Congregationem Passionis maxime illustraverint, seu S. Paulum a Cruce, S. Gabrielem a Virgine Perdolente, B. Vincentium M. Strambi, Ven. Dominicum a Matre Dei.

Ad haec Exc.mus Vir respondit grates pro obsequio referens, dilectionem suam pandens erga Congregationem nostram, cuius Sodales suae menti loquantur de S. Gabriele a Virgine Perdolente, quem ipse fervide veneretur et quotidie invocet.

Die sequenti sacerdotes novensiles in eadem Ecclesia, festiva corona circumdati parentum, Sodalium, fidelium, sacra primum litarunt.

*Professiones perpetuae.* — In Recessu Matris Dolorosae, vota perpetua emiserunt, die 30 Augusti 1930, *Confratres: Ignatius a S. Paulo a Cruce, Cyrillus a SS.mo Sacramento, Augustinus a Matre Dolorosa, Paschalis a Passione Jesu, et Vincentius a Matre Dolorosa.*

*Professio temporaria.* — In eodem Recessu, die 2 Septembris 1930, vota temporaria emisit *Frater Villibrordus a S. Joseph.*

#### PROVINCIA CALVARIIL.

*Ordinationes sacrae.* — Die 15 Augusti 1930 in civitate S. Pauli in Brasilia, Sacro Praesbyteratus Ordine insigniti sunt Patres: *Michael ab Immaculata. - Antonius a V. de Lourdes. - Thomas a Latere Jesu. - Petrus a V. Perpetui Auxilii. - Franciscus a Passione. - Vincentius a Nomine Jesu. - Alfredus a Puero Jesu.*

*Professio perpetua.* — In Recessu Boni Jesu (Curitiba), die 29 Aprilis 1930, vota perpetua emisit *Frater Justinus a Pretiosissimo Sanguine.*

Die autem 18 Maii, eiusdem anni, ibidem vota temporaria emis-  
erunt *Fratres: Gabriel a Spinea Corona, Joseph ab Immaculata Con-*  
*ceptione, et Raphael a V. Perdolente.*

#### PROVINCIA S. PATRITII.

*Professiones temporariae.* — In Recessu S. Gabrielis, anno 1930  
durante, vota temporaria emiserunt: Die 24 Septembris, *Confrater Cy-*  
*prianus ab Animabus Sanctis.* — Die 15 Octobris, *Confrater Bonaven-*  
*tura a Quinque Vulneribus.* — Die 15 Novembris, *Frater Brendanus a*  
*S. Corde.* — Die 24 Decembris, *Frater Malachias a S. Teresia de Jesu*  
*Infante.*

#### COMMISSARIATUS GENERALIS AUSTRO-GERMANICUS.

*Professio perpetua.* — In Recessu Mariae Schutz in Austria, die 5  
Novembris 1930, vota perpetua emisit *Pater Vincentius Maria a Chri-*  
*sto Rege.*

*Professiones temporariae.* — In eodem Recessu, durante anno 1930,  
vota temporaria emiserunt: Die 16 Februarii, *Confrater Antonius a*  
*Corde Jesu.* — Die 3 Augusti, *Frater Conradus a Jesu et Maria.* — Die  
5 Novembris, *Pater Joannes a Maria Regina.*

#### RECESSUS POLONIAE.

*Professiones temporariae.* — In Recessu SS. Jacobi et Annae (Prza-  
snyzs-Polonia), vota temporaria emiserunt, durante anno 1930:

Die 25 Martii, *Fratres: Ludovicus a S. Joseph, et Ceslaus a Nati-*  
*vitae B. M. V.* — Die autem 15 Augusti, *Fratres: Antonius ab Annun-*  
*tiatione B. M. V., et Thomas a Pretiosissimo Sanguine.*

## MISSIONES

### I.

#### PROFECTIO MISSIONARIORUM EX HISPANIA.

Die dominica 5 Octobris proxime elapsi locum habuit in Ecclesia  
Recessus a Passione D. N. I. C. (*Deusto*) devotissima supplicatio ad di-  
vinam opem implorandam super quatuor Sodales nostros ad Praefectu-

ram Apostolicam S. Gabrielis a Virgine Perdolente (*Marañon*) profecturos, quorum nomina haec sunt: *P. Zosimus a S. Joseph, P. Joannes Baptista ab Assumptione, P. Romanus a S. Joseph, Fr. Richardus a SS. Trinitate.*

Post benedictionem Eucharisticam Celebrans solemniter benedixit Crucifixi effigies et singulis Missionariis tradidit; deinde omnes Sodalibus pedes eorum osculati sunt, dum antiphona canebatur: « *O quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona, dicentium Sion: Regnabit Deus tuus* ». Praestito hoc humiliter obsequio, Sacerdos quidam e Communitate ad populi multitudinem sermonem habuit de sublimitate et sanctitate apostolicis muneris, omnia fausta adprecans profecturis. Demum accesserunt certatim Christifideles, lacrymis perfusi, ut Crucifixi effigiem deoscularentur, quam singuli Missionarii eis porrigebant.

Dux itineris fuit *Adm. Rev. P. Paulinus a SS. Corde Jesu*, nuper electus Superior domus Limanae, qui iam viginti annos apostolatam exercuit in America latina.

Vota et preces nostrae eos prosequantur, in suam tutelam recipiat S. Gabriel a Virgine Perdolente, vires corroborans, animum addens, difficultates extenuans, ut animas innumeras ad Deum perducere valeant, Passionem Christi verbo et exemplo ubique praedicantes.

## II.

### NOVUM COMMENTARIUM OFFICIALE PONTIFICIUM OPERUM PRO MISSIONIBUS.

Cum Sanctissimus Dominus Pius PP. XI Motu proprio *Decessor Noster* diei 24 mensis Junii anni 1929 decreverit ut diversorum Pontificalium Operum pro Missionibus esset Commentarium Generale, nunc unico libello eduntur Acta Pontificalium Operum a Propagatione Fidei et a S. Petro Apostolo. Titulus est: *Acta Pontificalium Operum a Propagatione Fidei et a S. Petro Apostolo pro Clero indigena*. Primus numerus apparuit die 20 Augusti 1930. Capita rerum Pontificium Opus a Propagatione Fidei respicientium sequenti ordine proferuntur: ratio accepti et expensi synthetice et analytice proposita; coetus plenarii anni summarium; relationes de statu Operis in diversis regionibus; documenta, nuntia varia.

Quod spectat ad Pontificium Opus a S. Petro Apostolo, ordo rerum est: summaria relatio de statu Operis; ratio accepti et expensi; documenta.



## Archisodalitatis a Passione novae erectiones.

Diplomate diei 16 Augusti 1930, Sodalitas nostra erecta fuit in ecclesia S. Jacobi Apostoli, loci *Peghera*, dioecesis Bergomen. (Italia).

Item, diplomate diei 28 Octobris 1930, in ecclesia S. Crucis, loci *Merida*, dioecesis Emeriten. (Venezuela).

Item, diplomate diei 29 Octobris 1930, in ecclesia S. Apollonii Ep. Conf., loci *Lumezzano Sant'Apollonio*, dioecesis Brixien. (Italia).

Item, diplomate diei 17 Novembris 1930, in ecclesia S. Petri Apost., loci *S. Giovanni in Marignano*, dioecesis Ariminen. (Italia).

## Benefactores cooptati:

In albo benefactorum Congregationis nostrae, patentibus litteris R.mi P. Praepositi Generalis, recensiti sunt:

Die 31 Julii, precibus exhibitis ab Adm. R. P. Constantino a Corde Jesu, Praep. Prov. Immaculae Conceptionis: *D.na Anna K. de Bracken*, loci *Marcos Paz* (Prov. B. A.). — *Dominac Ann et Mary Culleton*, loci *Espora* (Prov. B. A.). — *D.nus John Cavanagh*, loci *Venado Tuerto* (Prov. S. F.). — *D.na Isabel Purcell de Chopitea*, loci *Buenos Ayres*. — *D.nus Patrick Dowling*, loci *Gral. Pinto* (Prov. B. A.). — *D.nus Christopher Hope*, loci *Salto* (Prov. B. A.). — *D.nus John Duggan et Fratres*, loci *Estación Duggan* (Prov. B. A.). — *D.na Catherine Mc. Givney de Fagan*, loci *Heavey* (Prov. B. A.). — *D.nus John Flynn*, loci *9 de Julio* (Pr. B. A.). — *D.na Elizabeth Rourke de Fallon*, loci *Venado Tuerto* (Prov. S. F.). — *D.nus Edmund Gahan*, loci *Buenos Aires*. — *D.nus Thomas Gahan*, loci *Buenos Aires*. — *D.nae Dora et Anita Hughes*, loci *Buenos Aires*. — *D.nae Norah et Mary Keating*, loci *Ruawson* (Prov. B. A.). — *D.nae Margaret et Annie Kenny*, loci *Lujan* (Prov. B. A.). — *D.ni John Kenny*, loci *Salto* (Prov. B. A.). — *D.ni James Keating*, loci *Mercedes* (Prov. B. A.). — *D.nus John Lalor et Familia*, loci *Buenos Aires*. — *D.nus Stephen Lambert*, loci *Monte Maiz* (Prov. Cordoba). — *D.na Mary O' Toole de Lascombes*, loci *Guerico* (Prov. B. A.). — *D.nus Miguel Z. O' Farrell*, loci *Buenos Aires*. — *D.na Ann O' Toole*, loci *Pergamino* (Prov. B. A.). — *D.na Mary O' Farrell*, loci *Buenos Aires*. — *D.na Rose L. Quinn*, loci *Viña* (Prov. B. A.). — *D.nae Juliana et Elisa Rourke*, loci *Buenos Aires*. — *D.nae Brigid et Christina Slammon*, loci *Buenos Aires*. — *D.nus Michael*

*Scally*, loci *Buenos Aires*. — *D.nus Patrick Thompson*, loci *Rojas* (Prov. B. A.). — *D.nus Patricio et D.na Walsh*, loci *Buenos Aires*. — *D.nae Mary et Isabel Doyle*, loci *Buenos Aires*. — *D.na Margaret H. de O' Farrell*, loci *Santa Lucia* (Prov. B. A.). — *D.na Ellen Mac Donald et Familia*, loci *Gral. Belgrano* (Prov. B. A.). — *D.na Susana Estrada de Balcarce*, loci *Buenos Aires*. — *Dominae Laura et Sara Pereyra Iraola*, loci *Buenos Aires*. — *D.nus Martin Pereyra Iraola*, loci *Buenos Aires*. — *D.nus Leonardo Pereyra Iraola*, loci *Buenos Aires*. — *D.nus Emilio Lamarca et Familia*, loci *Buenos Aires*. — *D.nus Marcelino Herrera Vegas et Familia*, loci *Buenos Aires*. — *D.nus Ricardo Pearson et Familia*, loci *Tatay* (Prov. B. A.). — *D.na Maria Luisa Saavedra de Carreras*, loci *Arroyo de Luna* (Prov. B. A.).

Die 1 Octobris, precibus exhibitis ab eodem P. Provinciali Constantino a Corde Jesu: *D.na Rose Mac Dermott*, loci *Santos Lugares* (Prov. B. A.). — *D.nus Michael Dowling et Familia*, loci *Vicente Lopez* (Prov. B. A.). — *D.nus John Nelson et Familia*, loci *Salalé* (Prov. B. A.). — *D.na Sara Geoghegan*, loci *Maguire* (Prov. B. A.). — *D.na Graham O' Toole*, loci *Belgrano* (Prov. B. A.). — *D.nus Thomas O' Neill et Familia*, loci *San Antonio de Areco* (Prov. B. A.). — *D.na Edward Maguire et Familia*, loci *Buenos Aires*.

Eodem, die, precibus exhibitis ab Adm. R. P. Jacobo a S. Aloisio, Praep. Prov. Spiritus Sancti, Domini: *David Roche*, *Alexander A. Dalglish*, loci *Goulburn*, et Dominus *Charles Tawaher*, loci *Woonona* (Australia).

## BIBLIOGRAPHIA

P. PATRIZIO DI N. SIGNORA DEL S. CUORE DI GESÙ, PASSIONISTA, *Lo Spirito del Passionista* (Riservato ai Religiosi Passionisti. — Roma, Scala Santa) pag. 896, cm. 22 × 15.

Non semel audivimus Sodales nostros optare ut conscriberetur opus, quod de spiritu Congregationis nostrae fuse lateque ageret. Huiusmodi Sodalium desiderio nunc occurrit P. Patricius diserte et erudite exponens spiritum Congregationis nostrae.

Opus in tres partes divisit: 1° de principiis fundamentalibus; 2° de spiritu particulari Congregationis nostrae; 3° de obiectis ac responsis.

In prima parte (pag. 15-126) explicat et probat ea quae statum perfectionis et statum religiosum respiciunt, quae naturam specificam et spiritum Religionum, quae immutabilitatem huiusce spiritus in sua essentia et mutabilitatem in perfectione accidentali.

*In secunda parte* (pag. 127-650), vere copiosissima, postquam ostendit Congregationem nostram divino instinctu a S. Paulo a Cruce fuisse institutam, de quadruplici spiritu disserit, qui Sodalium animos informare debet, nempe de spiritu paupertatis, solitudinis, orationis, apostolatus.

*In tertia parte* (pag. 651-878) solvit obiectiones, quae fieri possent tum contra spiritum religiosum in genere, tum contra spiritum Congregationis nostrae proprium.

Optimi summaque auctoritate praediti sunt fontes e quibus Auctor doctrinam suam hausit: divina scilicet Scriptura, Patres et Doctores Ecclesiae, praesertim S. Thomas Aquinas, sacri Canones et documenta pontificia, Constitutiones nostrae, decreta Capitulorum et Praepositorum Generalium, veteres consuetudines, verba et exempla S. Patris nostri Legiferi, desumpta ex eius epistolis, ex decretis in sacra visitatione factis, ex processu Beatificationis. Quibus accedunt annales antiqui sive totius Congregationis sive diversorum Recessuum, vitae Beatorum vel Servorum Dei e Congregatione nostra aliorumque Sodalium qui sanctitate floruerunt.

Ut autem ea quae dicuntur pleniorum fidem obtineant, documenta fere semper ad litteram afferuntur.

Ipse tamen auctor monet opus officiali, ut aiunt, auctoritate minime pollere; ideo si quid minus probandum praeter intentionem forte irreperit, subest omnino correctioni eorum quibus competit Congregationis Regulas authentice interpretari et spiritum auctoritative tueri.

P. GAËTAN DU SAINT NOM DE MARIE C. P., *Oraison et ascension mystique de Saint Paul de la Croix* (Museum Lessianum, Louvain 1930) pag. 290, cm. 20 × 12.

Sanctus Legifer noster fulget in Ecclesia Dei non solum propter eximias virtutes et miraculorum dona, sed etiam propter mysticas ascensiones; ita ut merito adnumerari possit inter Sanctos, qui maxime huiusmodi donis a Deo ditati sunt. Attamen, dum plures habentur biographiae S.<sup>i</sup> Pauli a Cruce, adhuc desiderabatur opus, quod Eius vitam mysticam systematice proponeret. Hunc defectum supplere voluit P. Caietanus in hoc conscribendo volumine.

Praemissa enim quam brevissima biographia S. Pauli, Eum sequitur gradatim ascendentem per omnes mansiones a S. Theresia descriptas.

Tres autem periodos in Eius vita ascetica et mystica distinguit. *Prima periodus*, ab anno 19 ad 31, duodecim annos complectitur consolationum, quibus magnae permiscetur probationes; in eaque S. Paulus omnes gradus ascendit sive orationis ordinariae sive contemplationis infusae, donec, annum agens vigesimum octavum vel nonum, ad spirituale coniugium, insigni Dei beneficio, admittitur. *Secunda periodus*, ab anno 31 ad 76, quadraginta quinque annos occupat ariditatum et desolationum, quibusdam tantum consolationibus interiectis. *Tertia periodus*, ab anno 76 ad 81, qua difficile dixeris utrum praevalent desolationes an consolationes; hae tamen augentur prout finis vitae appropinquat.

Auctor duas appendices apposuit, primam ut ostendat tempus et modum, quo S. Paulus orationi vacabat; alteram ut Rosae Calabresi vitam, virtutes, dona, vim testimonii, intimas et mirabiles relationes cum S. Paulo exponat.

Magno animi gaudio Sodales nostri hoc volumen excipient, et dum magis magisque cognoscent mira Dei opera in Famulo suo fidelissimo, Eique gratias agent, desiderio inardescunt tanti Patris vestigia persequendi. Gratum insuper

erit omnibus scire iam alterum volumen de magisterio S. Pauli in animis dirigendis paratum esse, aliaque etiam volumina de vita et virtutibus parari ab Auctore, qui plures annos his laboribus laudabiliter insumpsit, et integrum processum beatificationis, necnon pretiosa alia documenta sive typis impressa sive manu scripta, diligentissime perlustravit.

**P. S. PASSIONISTA, *L'Ora di adorazione pei sacerdoti* (Varese, Tip. Arciv. dell'Addolorata, 1930) pag. 160, cm. 15,5 × 10,5.**

Adoratio SS.mi Sacramenti publicae venerationi expositi per integram horam, pie exercendo actus adorationis, gratiarum actionis, propitiationis et impetrationis, est devotio valde diffusa nostris diebus et quidem utilissima. In hac opella Adm. R. P. Stanislaus quatuor offert exempla adorationis pro Sacerdotibus, quamvis aptari facile possint etiam fidelibus. Argumentum diversorum actu desumitur ex verbis S. Scripturae vel Liturgiae; ex. gr. *Ave, verum Corpus, natum de Maria Virgine* etc; *Iuravit Dominus et non poenitebit eum* etc.; *Parce, Domine* etc.; *Sacerdotes Domini* etc. Nota, ut ita dicam, dominans in qualibet adoratione est Passio Christi, cui etiam dicatur integra tertia adoratio.

**P. STANISLAO DELL'ADDOLORATA, PASSIONISTA, *Il più bel fiore di Ovada* (Varese, Tip. Arciv. dell'Addolorata) pag. 88, cm. 18,5 × 12.**

Opportunissime editum est hoc parvum et elegans volumen, cum domus natalis dulcissimi Patris Nostri, in pristinam formam restituta et convenienter ornata, ad cultum fidelium aperiretur.

Ea sane in tali opere illustranda erant quae ad familiam, infantiam, adolescentiam, domum paternam S. Pauli a Cruce spectant; et revera Auctor post accuratissimas investigationes dat nobis insigne generis, genealogiam, nomen familiae aliis praeferendum, nempe *Daneo*; de parentibus et fratribus S. Pauli, de eius gestis in iuventute multa refert; Uvadam et Castellatum, domum natalem describit, addens in fine conspectum chronologicum totius vitae. Opus valde erit acceptum omnibus qui domum Uvadensem invisuri sunt.

**P. AMEDEO, PASSIONISTA, *S. Gabriele dell'Addolorata* (La Palatina, Torino) pag. 64, cm. 15,5 × 10,5.**

Auctor, iam optime notus Sodalibus nostris, maxime ob curam impensam in edendis quatuor voluminibus epistolarum S. Patris Nostri Legiferi, nunc dat brevem biographiam S. Gabrielis a Virgine Perdolente; nec dubium est quin, sicut aliae eiusdem molis ac indolis ab ipso compositae in honorem Servorum Dei Congregationis nostrae, haec etiam valde profutura sit ad augendam in populo christiano venerationem et amorem erga angelicum iuvenem, quem Deus tot prodigiis illustrat.

***Con S. Gabriele dell'Addolorata, Preghiere* (Milano, Stab. Arti Grafiche Bertarelli, 1930) pag. 191, cm. 11 × 6,5.**

Christifideles qui ad Sanctuarium S. Gabrielis pie peregrinantur, animae devotae quae eius patrocinium promereri et virtutes imitari student, gaudebunt certe in hoc minusculo pervolutando manuali precum. Habent enim hic collectas pre-

ces adhibitas ab ipsa matre S. Gabrielis vel in usu apud eius familiam; habent alia pietatis exercitia, quae, cum in Congregatione nostra frequentari solcant, ipse sanctus iuvenis intimo cordis affectu et spirituali gaudio saepe perfecit; quibus accedunt variae sententiae e scriptis S. Gabrielis desumptae et preces in eius honorem.

*Vita di Galileo Nicolini, Novizio Passionista*, 3<sup>a</sup> ed. con illustrazioni (Roma, Tip. della Madre di Dio, 1930) pag. 109, cm. 20 × 14,5.

Absoluto iam processu ordinario Servi Dei Galilaei Nicolini, dum proxima expectatur introductio huius causae apud SS. Rituum Congregationem, tertio prodit haec biographia, quam P. Caietanus a Iesu Infante, magna cum solertia et fidelitate conscriptam, anno 1899 typis mandaverat. Plurima sane nunc cognoscuntur ex processu ordinario; cum tamen angustia temporis parare non permiserit novam biographiam, liceat interim petentium desiderio occurrere veterem hanc iterum immutatam edendo. Quae, statim addimus, magnam habet auctoritatem: antequam enim e vita Auctor migraret, interposita iuramenti fide, narrationem suam in omnibus veram dixit, ac dignam quae inter testimonia processus tota insereretur.

UNA CARMELITANA del Monastero di S. Maddalena de' Pazzi in Firenze, *Gemma Galgani: un fiore di Passione della Città del Volto Santo* (Alba, Pia Società S. Paolo), pag. 318, cm. 19 × 12,5.

Haec vivida et elegans biographia digne coronat varia opera litteraria et ascetica piae sanctimonialis, quae vix quatuor pest mensibus ad coelestes Agni nuptias evolabat. Eius nomen, quod religioso humilique silentio semper celavit, est Adelais e Comitibus Sardi, Lucensis, in Religione Mater Gesualda a Spiritu Sancto.

Candide ipsa fatetur hoc opus conscribendo voluisse actum reparationis perficere erga inclytam suam Civem, eiusque virtutes publice declarare. Noverat enim de facie hanc Dei Famulam, saepe in Ecclesia simul oraverat vel ad eandem sedem confessionalem exspectaverat, eam tamen quodammodo fastidiebat. Numquam induci poterat ut mirabilem illius vitam perlegeret, et a multis rogata ut aliquid scriberet in eius honorem: Impossibile, aiebat, cum desit amor. Demum fere coacta ad scribendum, a Gemma expetivit hunc amorem et, mirabile dictu, cor suum statim immutatum sensit omneque fastidium in summum amorem ac venerationem conversum.

Inde ortum habuit haec biographia, quae vere nova dici potest, tam est dissimilis a simplici et sublimi narratione P. Germani: plura hic habentur e processu apostolico desumpta, plura etiam a P. Germano summa prudentia reticita: utraque tamen biographia mire consentit in fulgoribus collustrandis istius Gemmae electissimae, quae omnium oculos ad se convertit et corda ad coelum trahit.


*La S. Agnese del secolo XX: Maria Goretti, martire della purità*, 2<sup>a</sup> ed. (Nettuno, Santuario della Madonna delle Grazie, 1930) pag. 246, cm. 18,5 × 12.

Gemma Galgani et Maria Goretti simul apparent ad auroram saeculi XX quasi coeleste donum et auspiciam: una, seraphicis ardoribus consumpta et ineffabilibus charismatibus ditata, mentes hominum dubias et frigida corda ad Deum invitat: al-

tera, simplex et humilis puella, in agro Romano asperis laboribus mature assueta, quae, vix duodennis, anno 1902 dirissimam mortem subire non timet ad virgineum candorem inviolatum servandum, ingerit horrorem peccati, virtutis aestimationem et nutantes animos hodiernae iuventutis fortitudinis roborat. Huic invictae puellae, quam summis laudibus omnes catholici persecuti sunt, clarissimum praeconium tribuit ipse Summus Pontifex Pius X; nam anno 1910, accepto nuntio de sacris solemnibus celebrandis ad honorem Deiparae Immaculae in perinsigni Sanctuario ad Montem Virginis in Apulia, rescripsit se optare ut sacri oratores in exemplum verae devotionis erga Beatissimam Virginem Immaculatam fidelibus proponerent humilem puellam agri Romani.

De qua variae etiam conscriptae sunt biographiae, sed omnes facile superat et copia et bonitate rerum haec, quam noster P. Aurelius magna cum diligentia et pietate contexit. Ecce vix post annum altera apparet editio, recognita quidem et multis aucta, iis praesertim quae respiciunt solennem translationem exuviarum martyris in nostrum Pontificium Sanctuarium Neptunense, ubi marmoreum sepulchrum pluribus ante annis erectum fuerat. Ita prope simulacrum Virginis Deiparae, prope Altare ubi Agnus Dei quotidie immolatur pro salute mundi, summum habet locum haec virgo fortissima, quae ad amorem Christi Eucharistici et Beatissimae Eius Matris fidelium corda suaviter trahit: duplex enim hic amor tantam ei contulit fortitudinem, ut virginitatem suam usque ad sanguinem defenderet.

---



## DEPOSITO CORPORE AD CHRISTUM MIGRAVERUNT

---

### MONITUM

In exarando nuncio funebri nunquam omittatur: Nomen Congregationis vel Instituti; dies, mensis et annus mortis; nomen loci tam sacrum, quam saeculare; nomen Provinciae; nomen religionis, et saeculi, defuncti vel defunctae; dies, mensis et annus primae professionis.

Nuncium vero, a Rectore domus in qua defunctus morabatur, mittendum est tum ad Secretarium Generalem, tum etiam ad singulos Provinciales, qui tenentur illud transmittere ad omnes Recessus sibi subiectos, necnon ad Moniales et Sorores a Passione, quarum domus intra ambitum cuiusque Provinciae continetur, juxta normas in hac ephemeride alias editas. (*Bollett.*, an. I, pag. 83).

29. — *Die 28 Julii 1930*, in Recessu S. Pauli (Ilkley), Prov. S. Joseph, Confrater FIMBARUS A SS. SACRAMENTO (Michael Lane), qui, natus anno 1912, vota nuncuparat die 26 Novemb. 1929.

30. — *Die 13 Septembris 1930*, in Recessu SS. Crucifixi (Daimiel), Prov. S. Familiae, Confr. THEOPHILUS A S. C. JESU, qui, natus anno 1913, vota nuncuparat die 29 Septembris 1929.

31 — *Die 5 Octobris 1930*, in religiosa domo S. Gabrielis (Bolton), Consoror M. TERESIA A J. CRUCIFIXO (Mary Wanda) quae, nata anno 1905, vota nuncuparat die 3 Octobris 1929.

32. — *Die 8 Octobris 1930*, in Recessu Immaculatae Conceptionis (Chicago), Prov. SS. Crucis, Pater SILVANUS A PASSIONE (Daniel Mc. Garry), qui natus anno 1884, vota nuncuparat die 17 Februari 1903.

33. — *Die 12 Octobris 1930*, in Recessu Beati Vincentii M. Strambi (New York), Prov. S. Pauli a Cruce, Pater BERTRANDUS A CORDE MARIAE (Thomas Barry), qui natus anno 1866, vota nuncuparat die 20 Januarii 1892.

34. — *Die 10 Novembris 1930*, in Recessu S. Crucis, Prov. Immaculatae Conceptionis B. M. V., Frater GABRIEL AB ANNUNTIATIONE B. M. V. (Santiago Ward), qui, natus anno 1880, vota nuncuparat die 10 Aprilis 1897.

35. — *Die 26 Novembris 1930*, in Recessu S. Pauli, Prov. a Latere Jesu, Pater LEONARDUS A MATRE DEI (Pasquale Maciocia), qui natus anno 1861, vota nuncuparat die 15 Octobris 1884.



---

*Imprimatur: LEO A CORDE JESU Praep. Gen.*

P. POLISSENO ORLANDI (P. EMIDIO, Passionista) *Direttore responsabile*

---

ROMA — *Tipografia Agostiniana* - Via Giustiniani, 15-17 — ROMA



# Acta Congregationis

a SS. Cruce et Passione D. N. J. C.

---

Jesu Christi Passio sit semper in cordibus nostris

---

**Reverendissimus Praepositus Generalis Congregationis nostrae Delegatus Apostolicus in Indiis Orientalibus eligitur et ad Archiepiscopalem dignitatem evehitur.**

Die 14 aprilis currentis anni, in Ephemeride « l'Osservatore Romano » sequens faustissimum nuncium, inter communicationes officiales, habetur :

*« La Santità di Nostro Signore si è benignamente degnata di nominare Delegato Apostolico delle Indie Orientali il Rev.mo P. Pietro Kierkels Preposito Generale della Congregazione dei Chierici Scalzi della SS. Croce e Passione di Nostro Signore Gesù Cristo, elevandolo in pari tempo alla sede arcivescovile titolare di Salamina ».*

Congregatio nostra, tam insigni honore condecorata, Patri et Praeposito benignissimo fausta omnia et felicia adprecans gratulatur, atque altissimae missionis Eidem concreditae felicem exitum ex corde ominatur.

## EX ACTIS APOSTOLICAE SEDIS

### NUNCIUM RADIOPHONICUM PII PP. XI

Christifideles totius orbis summo animi gaudio die 12 Februarii huius anni ipsam vocem Supremi Pastoris Pii PP. XI eos hortantis et benedictis audire potuerunt. Res quidem nova et mirabilis. Sicut iam Divinus Magister sedens in monte turbas allocutus est, viam beatitudinis ostendens, ita e colle Vaticano Christi Vicarius omnibus gentibus cuiusvis gradus, ordinis, religionis, verba pacis ac salutis dixit, ut per varias huius saeculi vicissitudines aeternae vitae portum attingere valeant. Nemo fuit unquam inter homines qui vocem suam ad omnium aures mitteret, nemo nisi Christi Vicarius qui tanta auctoritate omnibus terrarum incolis loqueretur. Quis dicat quot centena millia hominum vocem illam audierint? Quo cordis affectu ac pietate catholici, praesertim in dissitis regionibus, Apostolicam Benedictionem ex labiis Summi Pontificis acceperint? Quo solamine ac fiducia Religiosi omnes per orbem dispersi se vocatos perceperint ab augusto Ecclesiae Capite fragrantiam Ecclesiae atque filios praedilectionis Suae? Tam faustissimi eventus ut memoria apud nos perseveret, dignum ducimus Pontificium nuncium radiophonicum in commentario nostro hic referre.

### Ad Universam Creaturam.

Qui arcano Dei consilio succedimus in loco Principis Apostolorum, eorum nempe quorum doctrina et praedicatione iussu divino ad omnes gentes et ad omnem creaturam (*Math.* 28, 19; *Marc.* 16, 15) destinata est, et qui primi in loco ipso mira sane ope Marconiana uti frui possumus, ad omnia et ad omnes primo Nos convertimus atque, hic et infra Sacro Textu iuvante, dicimus: Audite caeli quae loquor, audiat terra verba oris mei. (*Cant. Moys. Deuter.* 32, 1). Audite haec omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem, simul in unum dives et pauper. (*Ps.* 48, 1). Audite insulae et attendite populi de longe (*Is.* 49, 1).

### Ad Deum.

Sitque primum verbum Nostrum: Gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis. (*Luc.* 2, 14). Gloria scilicet Deo, qui dedit, in diebus nostris, potestatem talem hominibus, (*Matth.* 9, 3) ut vere in fines orbis terrae verba eorum pertingant; (*Ps.* 18, 5; *Rom.* 10, 18) et in terra pax, ubi pro illo divino Redemptore Iesu legatione fungimur, (*2 Cor.* 5, 20) qui veniens evangelizavit pacem, pacem iis qui longe et pacem iis qui prope, (*Eph.* 2, 17) pacificans in sanguine crucis suae sive quae in terris sive quae in caelis sunt. (*Col.* 1, 20).

### Ad Catholicos.

Nobis autem ad homines Nos convertentibus praecipit Apostolus, ut operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. (*Gal.* 6, 10). Iuvat igitur Nos istos omnes imprimis alloqui, eos nempe, qui, utpote in dominicam familiam et in dominicum ovile Catholicae Ecclesiae recepti et viventes, Nos dulci Patris nomine compellant, sacros Pastores et fideles, oves et agnos, quos omnes pascendos et regendos Nobis concedidit Pastor et Rex omnium Christus. (*Io.* 21, 15; *Matth.* 10, 19).

### Ad Hierarchiam.

Vos inquit conlaterales Nostros S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Praelatos et Sacerdotes per diversos hierarchiae gradus sollicitudinum Nostrarum quotidianarum obiecta praecipua, eosdemque laborum participes et adiutores.

Rogamus et obsecramus, ut unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat, (*1 Cor.* 7, 20) et ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis: (*Eph.* 4, 1) pascite qui in vobis est gregem Dei, forma facti gregis ex animo; (*1 Petr.* 5, 2) ut cum apparuerit Princeps pastorum percipiatis immarcescibilem gloriae coronam. (*1 Petr.* 5, 3). Interim autem Deus pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium in sanguine testamenti aeterni, Dominum Nostrum Iesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis eius voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram se per Iesum Christum. (*Hebr.* 13, 20).

### Ad Religiosos.

Nunc vos alloquimur filii et filiae praedilectionis Nostrae, qui quaeve charismata meliora aemulantes (1 *Cor.* 12, 31) atque in fide sanctissimorum votorum et in religiosa disciplina totius vitae nedum praeceptis sed et desideriis consiliisque divini Regis et Sponsi obsecundantes, Ecclesiam Dei virgineo odore fragrantem facitis, contemplationibus illustratis, orationibus fulcitis, scientia et doctrina ditatis, ministerio verbi et apostolatus operibus in dies percolitis et augetis. Igitur vere caelestis et angelicae vocationis participes, (*Hebr.* 3, 1) quanto pretiosorem thesaurum gestatis tanto diligentiore adhibeatis custodiam, non solum ut certam vestram vocationem et electionem faciatis, (2 *Petr.* 1, 10) verum etiam ut in vobis, tamquam in servis apprimè fidelibus et devotis, cor Regis et Sponsi consolationem et reparationem aliquam inveniatur pro infinitis offensionibus et negligentis quibus homines ineffabilem Eius dilectionem rependunt.

### Ad Missionarios.

Iam os Nostrum patet ad vos, (2 *Cor.* 6, 11) filii et filiae in Christo carissimi, qui in missionibus orantes laboratis ad propagandam sanctam Christi fidem et Eius Regnum dilatandum. Sicuti Apostoli ecclesiarum primi, ita et vos: in periculis, in multa patientia, in necessitatibus et tribulationibus (2 *Cor.* 1, 10; 6, 4) spectaculum facti; (*Hebr.* 10, 33) sicut illi, ita et vos « gloria Christi »; (2 *Cor.* 8, 23) vos qui in laboribus, saepe etiam in vinculis et in sanguine vestro, usque ad mortem certantes bonum et magnum certamen fidei et passionis (1 *Tim.* 6, 12; 2 *Tim.* 4, 7; *Hebr.* 10, 32) atque bonam confessionem confitentes, animas lucrifacitis et futurorum Christianorum semina seminatis. Salvete strenui milites Christi! Sed et sacerdotes indigenas ac bonos catechistas, praecipuos fructus eosdemque participes laborum vestrorum, salvare iubemus.

### Ad Fideles universos.

Cor Nostrum dilatatum est ad vos (2 *Cor.* 6, 11) quotquot estis Urbis episcopalis Nostrae et universi Orbis fideles; praesertim autem ad vos, qui in laicatu constituti Nobiscum et cum ve-

nerabilibus fratribus Nostris Episcopis cumque Sacerdotibus in apostolatu laboratis, sicuti credentes primi, viri ac mulieres laborabant, quas propterea Apostolus commendat. (*Phil.* 4, 3). Vos Dei populus et oves pascuae eius, (*Ps.* 89, 3) vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. (1 *Petr.* 2, 9). Igitur modestia vestra nota sit omnibus hominibus et quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate et facite, (*Phil.* 4, 5, 8) ut in omnibus honorificetur Deus. (1 *Petr.* 4, 11).

### Ad infideles et dissidentes.

Ad vos etiam cogitatio nostra et oratio Nostra convertitur qui a fide et unitate Christi adhuc abestis. Pro vobis enim quotidie offerimus preces et hostias Deo et Domino omnium, enixe petentes ut luce sua vos illuminet et vos ad oves quae vocem eius audiunt adducat et adiungat, et fiat unum ovile et unus Pastor. (*Io.* 10, 16).

### Iis qui praesunt.

Cum autem omnibus debitores simus, ideo imprimis iis qui praesunt dicimus ut in iustitia et caritate praesint, in aedificationem et non in destructionem, (2 *Cor.* 10, 8) semper memores non esse potestatem nisi a Deo (*Rom.* 13, 1) et Deo se rationem in iudicio durissimo reddituros. (*Sap.* 6, 6).

### Iis qui subsunt.

Iis autem qui subsunt dicimus ut non tamquam hominibus sed tamquam Deo oboedientes sint, scientes quod qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt ipsi sibi damnationem acquirunt. (*Rom.* 13, 2).

### Divitibus.

Similiter divitibus et pauperibus dicimus. Divitibus quidem ut se tamquam ministros divinae Providentiae et bonorum eius depositarios et dispensatores existiment, quibus pauperes ipse

Christus Iesus commendavit et a quibus divinus Iudex plus repetet quia plura habuerunt (*Luc.* 12, 48), divini verbi nunquam obliti: vae vobis divitibus! (*Luc.* 6, 24).

### Pauperibus.

Pauperes autem enixe in Domino hortamur ut ad paupertatem Iesu Christi Domini et Salvatoris respiciant, atque exemplorum ac promissionum Eius memores spiritualium divitiarum faciliorem ipsis acquisitionem ne negligant; et etiam ad meliorem statum, prout eos licet, enitentes, bono et recto corde commendent se Deo et non extendant ad iniquitatem manum suam. (*Ps.* 124, 3).

### Operariis et datoribus operum.

Operarios et datores operum enixe rogamus, ut non hostili aemulatione et certamine, sed amico et fraterno foedere iuncti, hinc copias et directionem illinc operam et industriam conferentes, quod iustum est quaerentes, quod iustum est dantes, proprium quorumque et commune simul bonum in tranquillitate ordinis operentur.

### Infirmis et afflictis.

Ultimum in executione sed primum in intentione et in affectu cordis, ad vos venit verbum Nostrum, qui in infirmitatibus et doloribus, in aerumnis et tribulationibus estis, maxime qui talia ab inimicis Dei et humanae consortionis patimini.

Orationes Nostras et auxilia pro posse nostra offerentes atque omnium caritati vos commendantes, in persona, quam gerimus, Christi vobis dicimus: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos. (*Matth.* 11, 28).

Restat ut Urbi et Orbi, atque omnibus in eis habitantibus benedictionem Apostolicam impertiamus, quod et facimus in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

EPISTOLA SUMMORUM MODERATORUM RELIGIOSARUM SODALITATUM AD ROMANUM PONTIFICEM PIUM PP. XI IN GRATITUDINIS OBSEQUIUM PROPTER BENEVOLENTISSIMA EIUS VERBA AD RELIGIOSOS IN PRAEDICTO NUNCIO.

Supremi Moderatores religiosorum Ordinum et Congregationum Romae commorantes, per manus Em.mi Cardinalis Alexii Henrici Lépicier, Praefecti Sacrae Congregationis de Religiosis, Summo Pontifici Pio PP. XI hanc dederunt epistolam, quam omnes signaverant, ut grati animi sensus cunctorum Religiosorum exprimerent propter benevolentissima verba, quibus Pontifex eos allocutus est in Suo nuncio radiophonico.

*Beatissime Pater,*

Veniam nobis concedere dignetur Sanctitas Vestra, ut qui, Dei gratia atque Ecclesiae placito, religiosorum cunctorum Ordinum et Congregationum duces et rectores sumus, ipsorum nomine, ad pedes Sanctitatis Vestrae immensae gratitudinis obsequium deponamus ob selectum locum quem nobis S. V. assignare voluit in portionum magni gregis enumeratione, quibus, per aera spatia, denuo paternam Suam Benedictionem misit.

Quando in quibusdam nationibus religiosi persecutioni obnoxii sunt; in aliis vero tantummodo tolerantur; ubique autem mundi spiritus, spiritui divino prorsus rebellis, malignis utitur sophismatibus, demonstrare praesumens illorum vitam orationis, poenitentiae, contemplationis, praedicationis, apostolatus, aperte contradicere legitimis excultae vitae modernae requisitis, maximum eis solamen et praesidium afferunt S. V. eloquia, dum, ante faciem mundi, eos « fragrantiam Ecclesiae atque filios praedilectionis » augusti Ecclesiae Capitis proclamant.

Hinc grave nobis officium provenit, ut nempe fideles nos constanter exhibeamus « vere caelesti et angelicae vocationi », qua a Deo dignati sumus, et ut amplius in dies mereamur laudes, quibus nos augere benigno cordi S. V. placuit. Quod quidem hic, coram Deo et Sanctitate Vestra, Christi freti gratia, sollemniter promittimus.

Nobis quoque liceat, Sanctissime Pater, summas S. V. gratias rependere cunctorum nostrorum Missionariorum nomine, ad quos praecipue sollicitudo paterna Vestra fertur. Illis etiam

solatio erit Benedictio S. V., tenerrimis quidem verbis expressa, et quae missionarios ac indigenas, eorum in aerumnis ac laboribus consortes, una simul involvit. Haec eos de omnis generis privationibus atque de hominum contemptu, cui pluries subduntur, largissime compensabit, et illos in proposito firmabit vivendi et, si opus fuerit, sanguinem fundendi pro animarum salute necnon pro gloria Sanctae Matris Ecclesiae.

Dignetur S. V. iterum nos benedicere atque acceptum habere testimonium profundae venerationis, filialis amoris atque adhaesionis firmissimae, quibuscum

Sanctitatis Vestrae  
humillimi et obedientissimi filii dicimur.

Qua epistola libentissime accepta, Summus Pontifex eidem Eminentissimo Patri mandavit ut paternam Suam gratiam simul cum Apostolica Benedictione referret omnibus religiosorum Ordinum et Congregationum sodalibus, qui tam filiali veneratione et affectu audierunt verba Vicarii Christi.

SACRA POENITENTIARIA APOSTOLICA  
(*Officium de Indulgentiis*).

I.

INVOCATIO AD B. M. V. INDULGENTIIS DITATUR.

SS. mus D. N. Pius div. Prov. Pp. XI, in Audientia infrascripto Cardinali Poenitentiario Maiori impertita, christifidelibus saltem corde contrito recitantibus invocationem ad Beatam Mariam Virginem: *Regina Apostolorum, ora pro nobis*, indulgentiam trecentorum dierum benigne concedere dignatus est. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Sacra Poenit., die 20 Novembris 1930.

L. ✠ S.

L. CARD. LAURI, *Poenitentiarius Maior*.

I. TEODORI, *Secretarius*.



II.

DECRETUM.

INDULGENTIA PLENARIA PRO DIVINI OFFICII RECITATIONE AD MONIALES ALIASQUE PIAS MULIERES IN COMMUNITATE VIVENTES EXTENDITUR.

Indulgentiam plenariam clericis in sacris constitutis, qui integrum divinum Officium, etsi in partes distributum, coram SS.mo Sacramento sive publici adorationi exposito sive in tabernaculo adservato, recitaverint, Decreto d. d. 23 Octobris a. c. benigne concessam, SS.mus D. N. Pius div. Prov. Pp. XI, in Audientia ab infrascripto Card. Poenitentiario Maiore die 21 proxime praeteriti mensis Novembris habita, ad moniales aliasque omnes pias mulieres in communitate viventes, quae ex proprii Instituti constitutionibus ad quotidianam divini Officii recitationem tenentur, in eadem forma iisdemque sub conditionibus, lubentissime ad preces eiusdem Cardinalis Poenitentiarii Maioris extendere dignatus est. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione et contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus S. Poenitentiariae, die 5 Decembris 1930.

L. ✠ S.

L. CARD. LAURI, *Poenitentiarius Maior.*

I. TEODORI, *Secretarius.*

(A. A. S., vol. XXIII, pag. 23).

PONTIFICIA COMMISSIO  
AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA.

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. — *De concessione Indulgentiarum.*

D. — An verba: *in suae iurisdictionis locis*, de quibus in canone 349 § 2 n. 2, ita intelligenda sint ut Episcopi indulgentias concedere prohibeantur religiosis exemptis vel in eorum ecclesiis.

R. — *Negative.*

II. — *De legitimatione prolis.*

D. — An vi canonis 1116 per subsequens parentum matrimonium legitima efficiatur proles, ab iisdem genita detentis impedimento aetatis vel disparitatis cultus, quod cessaverit tempore initi matrimonii.

R. — *Negative.*

Datum ex Civitate Vaticana, die 6 mensis Decembris anno 1930.

L. ✠ S.

P. CARD. GASPARRI, *Praeses.*

I. BRUNO, *Secretarius.*

(*A. A. S.*, vol. XXIII, pag. 25).

---

## DOCUMENTA PONTIFICIA CONGREGATIONIS

---

### S. RITUUM CONGREGATIO

#### I.

ACTA IN CAUSIS BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS DURANTE ANNO 1930.

*Die 15 ianuarii*: ROMANA seu MACERATEN. et TOLENTIN. — Fit facultas Episcopo Uritano conficiendi processiculum apostolicum suppletivum super miraculo, quod in oppido Manduriae contigit, tributo intercessioni *beati* VINCENTII MARIAE STRAMBI *Episcopi*.

*Die 20 ianuarii*: NULLIUS SS. VINCENTII ET ANASTASII AD AQUAS SALVIAS. — Indulgetur facultas aperiendi processum ordinarium de non cultu in Causa *Servi Dei* GALILAEI NICOLINI *novitii*.

*Die 9 aprilis*: ROMANA seu MACERATEN. et TOLENTIN. — Uritae inchoatur processiculus apostolicus suppletivus, de quo supra, in Causa canonizationis *beati* VINCENTII M. STRAMBI *Episcopi*. Die 23 eiusdem mensis publicatur et die 30 absolvitur, cura et studio *P. Mansueti a Praesentatione Vicepostulatoris*.

*Die 16 maii*: ROMANA seu MACERATEN. et TOLENTIN. — Indulgetur facultas aperiendi processiculum suppletivum, de quo supra, in causa canonizationis *praefati* BEATI.

*Die 22 maii*: SABINEN. seu RIPANA. — Ripaetransonae inchoatur, processus informativus super fama sanctitatis, virtutum et miraculorum *Servi Dei* JOANNIS A SPIRITU SANCTO, *sacerdotis professi*.

*Die 17 iunii*: NULLIUS SS. VINCENTII ET ANASTASII AD AQUAS SALVIAS. — Romae in coetu ordinario S. R. Congregationis habetur discussio super scriptis *Servi Dei* GALILAEI NICOLINI *novitii*: die vero sequenti decretum adprobationis publici iuris fit.

*Die 6 augusti*: SABINEN. seu RIPANA. — Ripaetransonae publicatur processus informativus super fama sanctitatis, virtutum et miraculorum *Servi Dei JOANNIS A SPIRITU SANCTO*.

*Die 5 septembris*: SABINEN. seu RIPANA. — In Monte Argentario ab Episcopo Grossetano conficitur processiculus rogatorialis informativus super fama sanctitatis etc. *SERVI DEI prae-fati*.

*Die 8 octobris*: TARQUINIEN. — Tarquiniae absolvitur processus informativus super fama sanctitatis, virtutum et miraculorum *Servae Dei MARIAE CRUCIFIXAE A JESU C. P.*

*Eadem die*: TARQUINIEN. — Tarquiniae inchoatur processiculus diligentiarum super scriptis *SERVAE DEI prae-fatae*.

*Die 15 octobris*: DUBLINEN. seu RUREMUNDEN. — Eligitur E. mus Cardinalis Raphael Carolus Rossi Ponens seu Relator Causae *Servi Dei CAROLI A S. ANDREA*.

*Die 20 octobris*: SABINEN. seu RIPANA. — Tuderti ab Ordinario loci conficitur processiculus rogatorialis informativus super fama sanctitatis etc. *Servi Dei JOANNIS A SPIRITU SANCTO*.

*Die 25 octobris*: TARQUINIEN. — Indulgetur facultas aperiendi processum informativum super fama sanctitatis, virtutum et miraculorum *Servae Dei MARIAE CRUCIFIXAE A JESU C. P.*

*Eadem die*: DUBLINEN. seu RUREMUNDEN. — Conceditur Ponenti E. mo Cardinali Rossi facultas eligendi Revisores quoad versionem processus informativi in Hollandia confecti super fama sanctitatis, virtutum et miraculorum *Servi Dei CAROLI A S. ANDREA*.

*Eadem die*: DUBLINEN. seu RUREMUNDEN. — Fit praelaudato Ponenti potestas eligendi theologos revisores scriptorum *SERVI DEI prae-fati*.

*Die 9 decembris*: VITERBIEN. — Romae in congregatione ordinaria S. R. C. habetur relatio super introductione Causae beatificationis et canonizationis *Servi Dei JOANNIS BAPTISTAE A S. MICHAELE ARCHANGELO, fratris germani S. Patris nostri*. Die sequenti Summus Pontifex sententiam affirmativam ratam habuit ac confirmavit.

*Die 17 decembris*: ROMANA seu WESTMONASTERIEN. — Eligitur E. mus Cardinalis Raphael Carolus Rossi Ponens seu Relator Causae Ven. DOMINICI A MATRE DEI.

II.

SIGNATUR COMMISSIO INTRODUCTIONIS CAUSAE SERVI DEI  
P. JOANNIS BAPTISTAE A S. MICHAELE ARCH.

DECRETUM

VITERBIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

SERVI DEI

IOANNIS BAPTISTAE A S. MICHAELE ARCHANGELO

SACERDOTIS PROFESSI E CONGR. CLERICORUM EXCALCEATORUM

SS. MAE CRUCIS ET PASSIONIS D. N. I. C.

SUPER DUBIO

*An signanda sit Commissio introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur.*

Mirabili miserentis Dei consilio factum est ut, dum fallax scientia et morum depravatio saeculo decimo octavo multos a vitae christianae semita abriperet, viri exsurgerent qui tantis his malis occurrerent et *Iesum Christum et hunc crucifixum* verbo et vitae sanctimonia praedicantes, innumeras ei animas lucrificerent.

Inter hos in Italia principem tenent locum S. Theophilus a Curte nuper sanctorum fastis adscriptus, S. Leonardus a Portu Mauritio, ambo ex inclyto Minorum Ordine, B. Antonius Balducci e S. I., Ven. Bartholomaeus Dal Monte sacerdos e clero saeculari aliique plurimi. Peculiari autem mentione est dignus S. Paulus a Cruce, Congregationis clericorum excalceatorum SS. mae Crucis et Passionis D. N. I. C. fundator, qui dum viveret et per novam hanc familiam uberrimos in bonum animarum tulit et ubique terrarum fert fructus.

Tanti huius viri germanus frater fuit Servus Dei Ioannes Baptista a S. Michaele Archangelo, secundus inter sexdecim filios, quos Lucas Danei et Anna Maria Massari, morum probitate et pietate praestantes, genuere.

Natus est Ioannes Baptista Uvadae in Aquensi dioecesi mense Aprili a. D. 1695, et die 17 lustralibus aquis ablutus.

Liberalium disciplinarum rudimentis sive domi, sive Castellatii fuit excultus.

A certa morte B. Virgo fratres sensibilibus servavit, dum in eo erant ut in aquis fluminis mergerentur, in quas ob pontis ruinam deciderant.

Humani generis inimicus, nullum non movit lapidem ut Ioannem Baptistam, quem fortissimum contra se praesentebat athletam, horrendis tentationibus a bono retraheret et ad malum alliceret. Sed sanctus iuvenis, invocato SS.mo Iesu nomine, victor quidem exstitit, sed ex corporali lucta quam sustinuit, velut alter Iacob, licet alia de causa, aliquatenus claudus per totam vitam est factus.

Annos agens viginti quinque Paulo, eremiticam et asperam vitam sequi cupienti, se adiunxit. Mira animorum concordia in mundanorum despectu, in pietate fovenda, in orationibus per plures horas protrahendis, in paenitentibus, quibus sua corpora macerabant, simul cum assidua passionis Christi meditatione ita hos fratres devinxit, ut individuum exinde vitam iugiter ducebant.

Sacro habitu, uti frater, ab Episcopo Alexandrino fuit indutus, et cum fratre eremiticam vitam prope Castellatium aliquantulum duxit. Inde profecti, postquam in Argentario monte, Caietae et Troiae in Apulia fuissent diversati, in Urbe constituerunt. Cura infirmorum, qui in hospitali S. Gallicani degebant, fuit eis concredita, et ab ipso Summo Pontifice Benedicto XIII die 7 Iunii a. 1727 ambo fuere ad sacerdotium promoti. In Argentarium montem, qui a S. Paulo *mons sanctificationis* appellabatur, se contulerunt, ubi orationibus, asperis paenitentibus, ieiuniis et sacrarum Scripturarum lectioni incumbebant.

Ibidem S. Paulus Congregationis SS. Crucis et Passionis D. N. I. C., cooperante fratre, fundamenta iecit, et sodales, potestate eidem facta a Pontifice Benedicto XIII, sibi adiunxit. Divino zelo succensi huc illuc praesertim diebus festis ad populos evangelizandos se conferebant et innumeras animas ad bonam reducebant frugem. Quibus ministeriis functi, statim ad solitudinem redibant. Sacris expeditionibus uterque indefesse per triginta et amplius annos incubuit, Ioannes autem Baptista « sibi

munus maxime proprium adscripserat sacro clero spiritualia exercitia praebendi » (S. Paul., in necrol. fratris).

Multiplicatis sodalibus nova asceteria fundata fuere, inter quae a. 1744 recessus ad honorem S. Michaelis Archangeli prope Vetrallam in dioecesi Viterbiensi, cui Ioannes Baptista aliquot per annos praefuit, deinde usque ad mortem primus generalis totius Congregationis Consultor est factus; insignia pietatis, pacnitentiae et apostolicorum laborum praebens exempla.

Meritis plenus, die 30 Augusti anno Domini 1765, germano fratre S. Paulo adsistente, omnibus Ecclesiae Sacramentis refectus, in eodem Vetrallensi recessu obdormivit in Domino. Iustis funebribus persolutis, cadaver ibidem sepultum fuit una cum necrologio quod ab eodem S. Paulo fuerat conscriptum.

Sanctitatis fama, quae dum Servus Dei vivebat longe lateque diffundebatur, tractu temporis non deferbuit et adhuc viva perseverat. Attamen iuridicae inquisitiones pluribus de causis solummodo anno 1909 inceptae fuere. Verum haec dilatio non multum Causae detrimentum attulit, eo quod plurimi testes qui auditi sunt sive in Ordinariis sive in Apostolicis processibus super vita et virtutibus sancti Pauli a Cruce, germani fratris Servi Dei, de huius quoque vita et virtutibus abunde deposuerunt.

Quapropter Sacrorum Rituum Congregationi exhibiti fuerunt Processus ordinaria auctoritate anno 1909 ab Episcopo Viterbien. constructus, tum authentica excerpta ex Processibus sive Apostolicis sive Ordinariis qui confecti sunt in Causa Sancti eius Fratris, Pauli a Cruce. Scripta quoque ab hac Sacra Congregatione die 18 Iulii 1928 fuerunt approbata.

Quum omnia quae ad Causae Introductionem requiruntur essent parata, instante R. P. Aegidio a Sacris Cordibus Congregationis SS. mae Crucis ac Passionis D. N. I. C. Postulatore generali, Eminentissimus ac Reverendissimus Cardinalis Alexander Verde, Causae Ponens seu Relator, in Ordinariis Sacrae huius Congregationis comitiis die 9 Decembris anno 1930 habitis sequens dubium discutiendum proposuit: *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur.* Et E.mi ac R.mi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Cardinalis Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Salvatore Natucci Sanctae Fidei Promotore generali, attentis quoque postulatoriis litteris nonnullorum S. R. E. Car-

dinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, civium Uvadae, nec non moderatorum plurium Ordinum seu religiosarum Congregationum, omnibus sedulo perpensis rescribendum censuerunt: *Affirmative, seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.*

Facta postmodum de praedictis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae XI per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae Servi Dei Ioannis Baptistae a S. Michaelae Archangelo, Sacerdotis professi e Congregatione clericorum excalceatorum SS.mae Crucis et Passionis D. N. I. C. — Die 10 Decembris 1930.

C. CARD. LAURENTI, S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

A. CARINCI, Secretarius.

### III.

FOLIUM COMMISSIONIS PRO APOSTOLICO PROCESSU DE FAMA  
SANCTITATIS IN GENERE AC PRO CAUSAE PROSECUTIONE.

*Beatissime Pater,*

Adeo hactenus aucta est atque magis magisque augetur in dies fama sanctitatis Servi Dei Joannis Baptistae a S. Michaelae Archangelo, Sacerdotis Professi e Congregatione Clericorum Excalceatorum SS.mae Crucis et Passionis D. N. J. C., fratris germani S. Pauli a Cruce, una cum miraculis, quae ipsius intercessione post eius obitum, qui contigit die 30 Augusti anni 1765. Deus O. M. operari dignatus est ac dignatur ut plures et eximii viri eum suis in necessitatibus invocent et plurimorum etiam gravium virorum existimatione Beatificationis et Canonizationis honore dignus reputetur. Ex quibus moti, plures S. R. E. Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Ordinum Religiosorum Moderatores alique conspicui ac illustres viri instanter per suas litteras rite exhibitas supplicarunt ut Apostolica Sedes ad eisdem Famuli Dei Beatificationem et Canonizationem procedere dignaretur. Quapropter cum iam fuerit constructus auctoritate



Ordinaria Processus in Curia Ecclesiastica Viterbiensi super fama sanctitatis vitae et miraculorum eiusdem Servi Dei, eiusque examen, praevia revisione et approbatione scriptorum eidem tributorum, institutum in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitii die 9. Decembris volventis anni 1930, referente Reverendissimo Cardinali Alexandro Verde Causae Ponente, auditoque tum voce, tum scripto R. P. Salvatore Natucci Sanctae Fidei Promotore Generali, R.mi Patres in sententia fuerunt ad eiusdem Famuli Dei Causae introductionem deveniri posse, si Sanctitati Vestrae placuerit. Hinc pro parte devoti Sanctitatis Vestrae Oratoris R. P. Aegidii Joseph a SS. Cordibus Sodalitatis a SS.ma Cruce et Passione D. N. J. C. Sacerdotis Professi et huius Causae Postulatoris, humillime supplicatur quatenus eadem Sanctitas Vestra Causam et Causas Beatificationis et Canonizationis nec non cognitionem virtutum et miraculorum atque publicae famae sanctitatis praefati Servi Dei, populorumque erga ipsum devotionis, cum omnibus et singulis suis incidentibus, dependentibus, emergentibus, adnexis et connexis quibuscumque, confirmando etiam quatenus opus sit, in Ponentem R.mum Cardinalem Alexandrum Verde eidem Sacrae Congregationi committere et mandare cum facultate in primis et ante omnia dubium super obedientia praestita Decretis sa. me. Urbani Papae VIII, de non cultu editis, ex iam confecto Processu Ordinario discutiendi et ex eo declarandi dictis Decretis paritum fuisse. Facta autem per eandem Sacram Congregationem tali declaratione eaque a Sanctitate Vestra approbata, si eidem Sacrae Congregationi visum fuerit et Sanctitati Vestrae placuerit, ipsamet Sanctitas Vestra concedere dignetur, ut possit deveniri ad generalem inquisitionem super sanctitate vitae, virtutibus et miraculis, eiusdem Servi Dei, et idcirco praefatae Sacrae Congregationi indulgere et liberam facultatem concedere ut Viterbiensi Episcopo vel aliis sacris Praesulibus committere valeat, ut per se ipsos inquirant de fama et devotione populi, deque virtutibus et miraculis, aliisque denunciandis dicti Famuli Dei, in genere tantum et non in specie, et quoad famam si vigeat de praesenti, et ad hunc effectum Articulos ad eosdem trasmittat, super quibus et iuxta Interrogatoria per dictum R. P. Promotorem Generalem, conficienda, debeant per seipsos examinare Testes cum interventu Subpromotoris Fidei per eundem R. P. Fi-

dei Promotorem nominandi, et cum potestate citandi et exhibendi etiam sub censuris et per edictum etc. invocato etc. atque cum omnibus aliis facultatibus necessariis et opportunis. Quibus peractis, ea quae invenerint fideliter rescribant, et Processum huiusmodi ad eandem Sacram Congregationem sub sigillo clausum transmittant cum Litteris, quibus significet quae et qualis praedictis Testibus et eorum depositionibus sit danda fides. Quo Processu recepto et per Sacram Congregationem discusso, eadem Congregatio Sanctitati Vestrae referat quid de eius relevantia sentiat, ad effectum ut Sanctitas Vestra statuere possit, an ad ulteriora procedi possit, cum de Causa agatur, quae dicitur antiqua, de qua peculiaris habetur instructio exequenda a Commissione historica nuper a S. V. instituta. Quod si Sanctitas Vestra ad ulteriora procedendum statuerit, Sacrae Congregationi mandare et iniungere pariter dignetur, ut deinde omnia acta mature examinentur, iuxta Sacrorum Canonum Decreta, cum aliis facultatibus desuper necessariis et opportunis, ceteraque omnia in praemissis et circa ea quomodolibet faciendi, dicendi, gerendi et exequendi usque ad ultimum et finale complementum praedictae Causae Beatificationis, servata tamen in omnibus et singulis forma sacrorum Canonum, non obstantibus aliis Constitutionibus etiam in Universalibus et Synodalibus Conciliis editis, aliisque Ordinationibus Apostolicis, Regulis Cancellariae, stylo Palatii, et Curiae, coeterisque contrariis quibuscumque, quorum statum, etc., tenores etc., pro plene et sufficienter expressis haben.

PLACET ACHILLEO

#### IV.

DE IUDICIO SUPER SCRIPTIS SERVI DEI  
JOANNIS BAPTISTAE A S. MICHAELE ARCHANGELO  
(Cf. BOLLETTINO - an. 1928, pag. 290)

##### *Judicium primi Censoris theologi*

Deputatus ab E.mo et R.mo Domino Cardinali Alexandro Verde ad revidenda scripta quae Servo Dei Joanni Baptistae a S. Michaelis Archangelo tribuuntur, attente ea perlegi et, qua

maiori potui diligentia, examinavi iuxta ea quae Urbanus VIII et Benedictus XIV praescribunt atque confirmata in novo codice iuris inveniuntur.

Scripta quae fuerunt meo examini assignata sunt sequentia :

I. — *Epistolae quindecim* ad varias personas missas, scilicet :

1. Epistola ad Dominam Agnetem Gratiis.
2. Epistola ad Dominam Elisabeth Gratiis.
3. Epistola ad incertam mulierem (sine indicatione loci).
4. Epistola ad Dominum Dominicum Costantini.
5. Epistola ad R. P. Fulgentium a Jesu.
6. Epistola ad Dominum Dominicum Costantini.
7. Epistola ad eundem.
8. Epistola ad Dominam Theresiam Danei.
9. Epistola ad Dominum Josephum Danei.
10. Epistola ad Dominam Luciam Costantini.
11. Epistola ad eandem.
12. Epistola ad eandem.
13. Epistola sine indicatione nominis. Ex contextu apparet missam fuisse ad R. P. Petrum a S. Joanne.
14. Epistola ad R. P. Petrum a S. Joanne.
15. Epistola ad Fratrem Bertholomaeum a S. Aloysio.

II. — *Fragmenta autographa* :

1. Fasciculus manuscriptus, 48 foliis constans, in quo continentur quinque sermones circa argumenta moralia. Tractant de Misericordia Dei, de poenitentia, de peccatis, de universali iudicio.
2. Fasciculus manuscriptus, quatuor foliis constans, in quo continentur fragmenta usui sermonis pro Sacerdotibus.
3. Fasciculus manuscriptus, quatuor foliis constans, continens schema cum notis pro Exercitiis spiritualibus.
4. Fasciculus manuscriptus, cui titulus: « Meditazione sopra le mani del Sacerdote » Constat octo foliis.
5. Fasciculus manuscriptus duobus foliis constans, cui titulus: « Sposizione della sequenza di S. Gregorio, per divozione di un'anima divota a sua richiesta ». Continet expositionem *Dies irae*.

6. Fasciculus manuscriptus uno tantum folio constans. Continet paucas sententias e S. Scriptura et ex S. Augustino.

III. — *Epistola incerta* (apographa). In hac epistola ad mulierem data, dicendi modi multum delectant in homine religioso eoque versato in curatione animarum.

Mei muneris est ut si in scriptis, quae hic supra singillatim enumeravi et quorum substantiam breviter exposui, quid contra fidem vel bonos mores reperiissem, pro conscientiae officio, accurate referam.

In primis dicam quod haec scripta exhibita sunt partim (epistolae) in copia manuscripta, partim (fragmenta) in textu autographo.

In his omnibus nullum inveni errorem contra fidem vel bonos mores vel doctrinam aliquam novam vel peregrinam atque a communi sensu et consuetudine Ecclesiae alienam; vel quae catholicis dogmatibus, Patrum traditionibus, Ecclesiae iuribus et disciplinis contradicat, vel alio quovis modo theologica censura appareat digna. Quin immo assidue animum prodit Auctor omnigenae sanctimoniae studiosissimum ac mirifico amore flagrantem Jesu Christi D. N.

Quamquam enim ex epistolis, quae aliquando de rebus familiaribus pertractant, heroicum christianarum virtutum exercitium in Dei Famulo directe colligi non possit, indirecte tamen satis superque ostenditur pietatem, prudentiam, paupertatem, charitatem in Deum et in proximum, caeterasque virtutes Servum Dei mirum in modum exercuisse. Non aliter iudicandum puto de epistola apographa. In sermonibus vero et in notis pro Exercitiis spiritualibus, necnon in expositione sequentiae *Dies Irae*, Sacram Scripturam ac doctrinam Patrum familiarem habet et incensum flamma amoris Dei et proximi se demonstrat.

Quin proinde ultro loquar, de his scriptis sententiam meam proferens, dico: non modo me nihil invenisse quod esset quavis vel levi censura dignum, sed multa pietatis, prudentiae, sanctorumque scientiae plena.

Sub censura tamen Eminentissimi Principis eorumque quibus de jure spectat, et praesertim Apostolicae Sedis cuius auctoritati meam opinionem humiliter submitto.

Romae, die 27 Junii an. 1928.

. . . . .

*Judicium alterius Censoris theologi.*

Ego infrascriptus, Revisor adscitus ad examen Scriptorum Servi Dei Joannis Baptistae a S. Michaelae Archangelo, e Congregatione Clericorum a Passione D. N. J. C. testor me, qua maiori potui diligentia, perlegisse pauca Scripta, tribus involucribus cartaceis inclusa; quorum Scriptorum numerus et singulorum argumenta super eadem involucria accurate describuntur.

In praefatis Scriptis nihil profecto reperii, quod fidei, aut bonis Moribus, aut catholico Sensui adversetur.

Immo in iisdem Scriptis apparet quantus fuerit eiusdem Servi Dei animi candor, quanta vitae innocentia, quanta eius poenitentiae austeritas, quantus animarum zelus, simulque quanta erga quosvis peccatores caritas.

Sub primo fasciculo, ad Epistolam 8.<sup>am</sup>, reperitur *Additio*, scripta a fratre eiusdem Servi Dei, scilicet a S. Paulo a Cruce, quae *Additio* nemo erit qui non videat quanti momenti sit ad certitudinem capessendam de Virtutibus excellentissimis P. Joannis Baptistae a S. Mich. Arcang., quae certe non inferiores fuerunt Virtutibus eius Fratris, S. Pauli a Cruce.

Vere pretiosae ad sacram doctrinam et apostolicum ardorem mihi videntur *Quinque Sermones*, qui sub primo Fasciculo primi exhibentur.

Haec sub sapienti iudicio Eminentissimorum Patrum, etc.

Romae, die 16 mensis Junii, an. 1927.

V.

EM. US CARD. RAPHAEL CAROLUS ROSSI ELIGITUR A SUMMO PONTIFICE RELATOR IN CAUSA VEN. DOMINICI A MATRE DEI.

N. R. 543/930

ROMANA SEU WESTMONASTERIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VENERABILIS SERVI DEI

DOMINICI A MATRE DEI

SACERDOTIS PROFESSI

CONGREGATIONIS SS. CRUCIS ET PASSIONIS D. N. J. C.

Cum Causa beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei  
DOMINICI A MATRE DEI, sacerdotis professi Congregationis SS.

Crucis et Passionis D. N. J. C., suum Cardinalem Ponentem seu Relatorem amiserit per obitum cl. me. Antonii Card. Vico, R. mus P. Aegidius a Sacris Cordibus, ejusdem Congregationis Postulator Generalis, SS. Dominum Nostrum Pium Papam XI supplex rogavit, ut alterum Sacrae Rituum Congregationis Cardinalem praefatae Causae Ponentem seu Relatorem eligere dignaretur. Sanctitas porro Sua, referente R. P. D. Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, E. mum ac R. mum D. num Cardinalem Raphaellem Carolum Rossi supradictae Causae Ponentem seu Relatorem, cum facultatibus necessariis et opportunis, eligere ac nominare dignatus est. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 17 Decembris 1930.

L. ✠ S.

C. CARD. LAURENTI, S. R. C. *Praefectus.*

ALFONSUS CARINCI, S. R. C., *Secretarius.*

## VI.

A PROCESSU APOSTOLICO CONSTRUENDO SUPER FAMA SANCTITATIS IN GENERE IN CAUSA SERVI DEI P. IOANNIS BAPTISTAE A S. MICHAELE ARCHANGELO DISPENSATUR.

N. V. 2-8-931.

VITERBIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

SERVI DEI

IOANNIS BAPTISTAE A S. MICHAELE ARCHANGELO

SACERDOTIS PROFESSI E CONGR. CLERICORUM EXCALCEATORUM

SS. MAE CRUCIS ET PASSIONIS D. N. I. C.

Fama sanctitatis qua Servus Dei Ioannes Baptista a S. Michaele Archangelo, Sacerdos professus e Congregatione Clericorum Excalceatorum SS. mae Crucis et Passionis Domini Nostri Jesu Christi adhuc vivus gaudebat, non solum apud suos confratres, sed etiam apud varias gentes, quas apostolico prosequebatur ministerio, initium sane sumpsit ab ipso S. Paulo a Cruce, qui socium illum sibi adsciverat in Congregatione instituenda.

Quae sanctitatis opinio labentibus annis non modo mirifice conservata, verum etiam gloriosissime aucta, confratres et fideles undequaque movit ad Servo Dei caelestem gloriam procurandam. Quare dubio feliciter absoluto de Introductione Causae Beatificationis et Canonizationis praedicti Servi Dei, R. mus P. Aegidius a SS. Cordibus ejusdem Congregationis Postulator Generalis, quamvis adhuc non habeatur iudicium de non cultu, cum agatur de Causa quae inter antiquas recensenda sit, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam XI humillime deprecatus est, ut ab Apostolico Processu de fama Sanctitatis in genere benigne eximere dignaretur. Sanctitas porro Sua, referente R. P. D. Salvatore Natucci S. Fidei Promotore Generali, attentis peculiaribus adjunctis expositis, petitam dispensationem in casu et ad effectum de quo agitur benigne indulgere dignata est, servatis servandis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 18 martii 1931.

L. ✠ S.

C. CARD. LAURENTI, S. R. C. Praefectus.

ALFONSUS CARINCI, S. R. C. Secretarius.

---

SACRA POENITENTIARIA APOSTOLICA  
(*Officium de Indulgentiis*)

CONCEDUNTUR VARIAE INDULGENTIAE PEREGRINANTIBUS AD SANCTUARIUM S. GABRIELIS A VIRGINE PERDOLENTE IN « ISOLA DEL GRAN SASSO »; NEC NON IDEM VISITANTIBUS.

RESCRIPTUM 408/31

*Beatissime Pater,*

Rector sanctuarii titulo sancti Gabrielis a beata Maria Virgine Perdolente, in « Isola del Gran Sasso » curae Congregationis Clericorum Excalceatorum SS. mae Crucis et Passionis Domini nostri Jesu Christi concrediti, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter petit sequentes Indulgentias: I. *Plenariam*, christifidelibus confessis ac sacra Synaxi reffectis lucrandam quoties ad idem sanctuarium turmatim peregrinati fuerint et ad

mentem Summi Pontificis preces fuderint; II. *Plenariam Quotidianam*, a fidelibus confessis ac SS.ma Eucharistia reffectis acquirendam, si memoratum sanctuarium visitaverint et, uti supra, oraverint; III. *Partialem, septem annorum totidemque quadragenarum*, semel in die acquirendam a christifidelibus, qui prae-fatam visitationem et orationem saltem corde contrito peregerint. Et Deus, etc.

DIE 30 MARTII 1931.

*Sacra Poenitentiaria Apostolica* benigne annuit pro gratia iuxta preces ad septennium; quoad II, tamen, ad normam can. 921 § 3 Codicis Iuris Canonici. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

S. LUZIO, S. P. Reg.

S. DE ANGELIS, *Substit.*



## ACTA CURIAE GENERALIS

### I.

EPISTOLA R. MI PRAEPOSITI GENERALIS DE NOVA COLLECTIONE FACULTATUM ET INDULGENTIARUM CONGREGATIONIS NOSTRAE (¹).

LEO A S. CORDE JESU

CONGREGATIONIS A SS. CRUCE ET PASSIONE D. N. J. C.

PRAEPOSITUS GENERALIS

*Universis Congregationis Presbyteris salutem et pacem in Domino.*

Cum Congregatio nostra, ex Summorum Pontificum liberalitate et benevolentia, multis ac magnis privilegiis, tum directe tum ex communicatione, inde a suo initio cumulata fuerit, Maiores nostri, ne tantus thesaurus absconditus et proinde inutilis remaneret, ea in compendium redigi et typis edi curarunt.

Hinc prima privilegiorum nostrorum editio anno 1867 in lucem prodiit, auctoritate Praepositi Generalis Petri Pauli a Virgine Dolorosa, secunda vero anno 1882, curis potissimum adornata Rev.mi P. Bernardi M. a Jesu, venerabilis recordationis, qui tunc temporis supremam Congregationis praelaturam cum laude gerebat.

Porro secunda haec collectio magnam prorsus auctoritatem consecuta est ex Rescripto autographo Pii Pp. X, qui die 18 maii 1907, « ad tollendas dubitationes et controversias de nostris privilegiis exortas, et ad animos Religiosorum Sodalium tranquillandos » (²) Apostolica Sua auctoritate eadem privile-

---

(¹) Epistola haec Rev.mi Praepositi Generalis novae Collectioni Privilegiorum Congregationis nostrae, facultatum nempe et indulgentiarum praemittitur; quae quidem Collectio, typis edita, apud Secretariam nostram Generalem prostat. Opportunum autem videtur eandem Epistolam, in hac Ephemeride, promulgationis instar, referre, ut omnes Congregationis Presbyteri de eiusdem Collectionis vi et ratione protinus certiores reddantur.

(²) *Elenchus privilegiorum, edit. an. 1909, pag. 7, 8.*

gia, prout edita inveniuntur in citato compendio, plenissime approbavit et confirmavit.

Quapropter, cum, anno 1909, P. Aloisius a S. Francisco Paulano, qui tum Procuratoris Generalis munere fungebatur, privilegiis nostri tertio edendis manum apposuit, textum superioris compendii fideliter integreque retinuit, iis tantum additis facultatibus, quae novissime concessae fuerunt. Verum, opus feliciter inceptum, quod quidem eruditissimis et copiosis adnotationibus non modicam prae se ferebat utilitatem, ad finem perductum non fuit.

Hac de causa, omnibus Sodalibus nostris, iis praecipue qui sacris ministeriis incumbunt, iuge erat desiderium ut nova et absoluta privilegiorum nostrorum editio in lucem prodiret, cum huiusmodi facultates seu privilegia medium aptissimum habeantur et sint ad fructum uberiores in ministerio animarum percipiendum.

His aequissimis votis, quantum in Nobis erat, satisfacere cupientes, Procuratori Generali Sodalitatis nostrae onus et munus commisimus novam curandi collectionem privilegiorum, quae ex certis documentis legitime apud nos in usu sunt aut esse possunt.

Ut brevitati in primis et perspicuitati consuleretur, praeter facultates temporarias, quae pro Sodalium commoditate in Ephemeride Congregationis nostrae prostant, communia privilegia omissa sunt quae in Codice Juris Canonici continentur, itemque illa quae, hodierno jure, aut abrogata sunt, aut nihil utilitatis habere videbantur. Omnia vero quae in hac Collectione exhibentur, vel ex Compendio a Pio X, ut supra, approbato, vel ex authenticis documentis in generali archivio asservatis, fideliter deprompta sunt.

Ex titulo ipso praesens Collectio in duas partes dividitur, quarum prior *Facultates*, altera vero *Indulgentias* complectitur. Facultates elargitae, quantum fieri potuit, ipso paene sermone referuntur, quo in documentis apostolicis prolatae sunt, demptis tamen verbis ad substantiam concessionis non pertinentibus, quo textus relatus maiori claritate et brevitate niteret.

Eiusdem claritatis gratia assequendae, quoties opus fuit, notae explicativae subnectuntur, quibus nonnullae quaestiones seu dubia relate ad privilegia declarantur, ad tramitem docu-

mentorū, vel iuxta receptam sapientiorū doctrinam. Ordinem vero alphabeticū, in praecedentibus editionibus adoptatum, servatum fuit, « quippe qui, licet haud omni ex parte absolutam partitionem prae se ferat, faciliori tamen materiārum conspectui et explicationi magis consulere visus fuit » <sup>(1)</sup>.

Cum vero privilegiorū nostrorū pleraque ex Bullis « Supremi Apostolatus » et « Praeclara virtutum exempla » vel expresse vel implicite deriventur, duo ista celeberrima Congregationis nostrae monumenta, in appendice voluminis, ex communi voto, edere placuit.

Quoad usum huius Collectionis, haec, de unanimi Curiae nostrae consensu, statuimus et sancimus:

I. Hanc Facultatum et Indulgentiarum Collectionem, diligenter a Nobis et a Consultoribus nostris examinātam et probatam, pro communi usu Sodalitatis nostrae, auctoritate qua in Domino fungimur, recognoscimus et adoptamus.

II. In textu cuiuslibet concessionis clare exprimitur quanam et quonam modo ea uti valeant. Si qua vero facultas Nobis aut Provincialibus reservata sit, id in fine uniuscuiusque privilegii, italicis litteris, adnotatur.

III. Quae, data opportunitate, explicativae notationes passim adiunguntur, directivam tantum normam pro eorundem privilegiorū intelligentia et usu praebere possunt; ipsis tamen ea tantum auctoritas inest, quae ex rationibus et fontibus allegatis derivatur.

IV. « Decessores autem nostros vestigiis prosequuti, universis et singulis Religiosis Congregationis districte interdiciamus atque prohibemus, ne hanc Collectionem extraneis personis commodent vel tradant, nisi ad id specialissimam in scriptis licentiam a Nobis obtinuerint. Et ne occasio quidem huius inhibitionis transgrediendae oboriatur, mandamus ne unquam quis extra Recessum secum ferat nisi alio de familia ex obedientia transferatur <sup>(2)</sup> », aut ad sacra ministeria peragenda mittatur

Haec de huius novae Collectionis vi, usu et ratione.

Quae omnia in laudem Dei cedant et in nostrae Congregationis bonum et incrementum.

<sup>(1)</sup> *Elenchus facultatum et gratiarum* etc., edit. an. 1867, pag. VI.

<sup>(2)</sup> *Elenchus*, 1909, p. 4.

Coelestium interea donorum auspiciem, paternaeque nostrae benevolentiae testem, vobis omnibus benedictionem amatissime in Domino impertimus.

Datum Romae, ex Recessu SS. Joannis et Pauli, die festo Commemorationis Sollemnis Passionis D. N. J. C., 10 februarii 1931.

LEO A S. CORDE JESU, *Praep. Generalis.*

## II.

MISSIO APUD BULGAROS ABHINC 150 ANNOS SUSCEPTA COMMEMORATUR.

LEO A S. CORDE JESU

CONGREGATIONIS SS. MAE CRUCIS ET PASSIONIS D. N. J. C.

PRAEPOSITUS GENERALIS

*Missionariis et Sodalibus universis salutem et pacem in Domino.*

Proxima jam capituli generalis celebratione, aliam epistolam ad omnes Sodales scribendi mens quidem nobis non erat, sed ut de fausta quadam anniversaria die Congregationem universam commoneremus instanter rogati, libenter quidem annuimus, ut scilicet Missionarios nostros in longinquis regionibus honoremus, quorum primi antecessores, Franciscus M. a Divino Amore et Jacobus a Quinque Vulneribus, « ad Missionem apud Bulgaros auspicandam, ex hoc Recessu SS. Joannis et Pauli de Urbe profecti sunt, sub vespere diei 28 Julii 1781, die Sabbati, circa horam vicesimam tertiam », sicut ejus aetatis chronographus ea sollerti diligentia adnotavit, quae clare demonstrat hujusmodi factum apud Majores nostros magnum habuisse momentum.

Et sane, aeterna recordatione digna profectio illa dicenda est. Ipsam enim et Divi Conditoris nostri votis optatisque respondebat, et Sodalium nostrorum admissionem signabat inter strenuos milites Evangelii, qui vexillum Crucis ad fines christiani populi deferunt, inconditisque ingerunt nationibus, quas inter Imperium turcicum, cui tunc temporis Bulgarorum natio subjecta erat, absque dubio numerabatur.

Quapropter abs re non erit quinquagesimo anno ter jam

redeunte, hujus faustitatis eventum commemorare, atque ex eo motivum sumere propensae voluntatis nostrae et publicae gratulationis verba ad Missionarios bulgaros dirigendi, itemque tum ipsos tum Sodales ceteros, qui in Missionibus S. Congregationi de Propaganda subjectis laborant, paterno animo adhortandi, ut magis magisque dignos se exhibeant laudabili sua vocatione et illa maxima aestimatione et benevolentia, quam coram universo orbe Summus Pontifex in sua memorabili oratione radiophonica illis demonstravit.

Historia Missionis nostrae apud Bulgaros, his centum quinquaginta annis quibus Sodalitatis nostrae curis commissa fuit, potest, sicut ceterarum rerum vicissitudines, sub duplici respectu considerari, interno scilicet, ex parte illorum qui in Missionibus laborarunt, et externo ex parte illorum qui vices tantum spectatorum egerunt. Priores nimirum impensius conscientiam habent difficultatum et certaminis, dum alteri studium et attentionem ad exitum, sive prosperum sive adversum, praecipue convertunt. In floribus agri nonnisi colores odoresque miramur; verum si ipsi conscientiam haberent, potius innumeras fragilis suae vitae difficultates, quam decus et ornamenta perciperent. Ita cum de nostra Missionibus in Bulgaria sermo est, sub respectu interno seu actorum, affirmare possumus Missionarios nostros, ut constat ex eorum litteris et scriptis quae fideliter custodiuntur, vere fuisse « in periculis, in necessitatibus, in tribulatione, in laboribus, in multa patientia », sicut, verbis mutuatis ex Apostolo, Summus Pontifex se exprimit in citata oratione; et id quidem non solum propter loci et ministerii inseparabiles molestias, sed etiam ob peculiare difficultates derivantes sive ex parvo Missionariorum numero et mediorum penuria, sive ex contrariis quandoque inter eos sententiis, sive etiam ex Sodalibus et Superioribus qui, certe propter loci distantiam, parum de eadem Missionibus solliciti aliquando videri potuerint.

Nihilominus si ad spectatorum partes nos convertamus, affirmare licet, quod etiam Missionarii illi, etsi sui apostolatus efficaciam minoris plerumque aestimaverint, « certantes bonum certamen fidei, et passionis, spectaculum facti sunt et gloria Christi », juxta verba praefatae Pontificis orationis. Profecto, nos ipsi, Bulgariam et Rumaniam visitantes, maxime experti sumus (quod libenter in conspectu totius Congregationis proclamamus)

admirationis sensum erga Missionarios illos, sive hujus sive superioris temporis, qui, ducibus undecim Episcopis e Congregatione nostra ad sedem Nicopolitanam aut Bucharestiensem evectis tales apostolatus fructus adepti sunt, qui ipsis et Congregationi sint honori, et ad mentem revocent illud ecclesiae Thyatirae elogium: « novi opera tua et fidem et caritatem tuam et ministerium et patientiam tuam et opera tua novissima plura prioribus » <sup>(1)</sup>. Quod comprobare voluissemus missionis perstricta historia, si documentorum copia id brevi studio fieri sive visset. Utinam aliquando talis historia ad communem aedificationem edatur! Equidem in praesenti Bulgarorum natio amplius non est, sicut centum quinquaginta abhinc annis, provincia imperii Turcarum, sed regnum civile et christianum. Id tamen quin tollat, meritum adauget missionariorum nostrorum, qui speciales difficultates superare debent, ob minorem qua missiones inter acatholicos civilium nationum gaudent aestimationem, ut missionarius quidam in Norvegia nuper scite notabat <sup>(2)</sup>.

« Salvete igitur strenui milites Christi », vobis Pontificis verbis dicemus: « Salvete, et nos repetimus, Salvete Passionis nuntii, gloria et honorificentia Congregationis nostrae! » <sup>(3)</sup> Quod salutationis et benevolentiae nuntium speciali modo dirigimus ad omnes nostros tum Patres tum Studentes tum Fratres simul et alumnos ex natione Bulgara, qui in agro evangelico patriae suae excolendo laborant aut ad laborandum se praeparant. Idem etiam ad alios Congregationis Sodales extendimus, qui exteris missionibus incumbunt, iisque omnibus paterno affectu iteramus: Salvete Passionis nuntii, gloria et honorificentia Congregationis nostrae! Sic state in Domino, carissimi! Eia, constantes estote, imo in dies magis religionis zelo succrescite et apostolicis fructibus.

Ad hunc effectum liceat nobis in mentem vestram revocare quaeenam sint horum fructuum et efficientiae apostolicae essentialia fundamenta.

---

<sup>(1)</sup> *Apoc.* II, 19.

<sup>(2)</sup> *Ephemeris* « *Uit het Land van Si. Olaf* », Januar. 1931, p. 124.

<sup>(3)</sup> *Acta. Cong.*, p. 39.

Theoretice norunt omnes, et nos alia vice memoriae inculcavimus <sup>(1)</sup> vitam apostolicam nihil aliud esse nisi vitae interioris redundantiam; ipsa siquidem, ut S. Thomas apertissime eloquitur, « ex plenitudine contemplationis derivatur » <sup>(2)</sup> hinc aptissimis verbis orator quidam, heic Romae, in quadam Academia Missionaria, mentem suam aperiebat dicens, « spiritum missionalem considerandum esse veluti spiritus orationis superfluentiam », unde animus, Dei et Jesu Crucifixi amoris plenus, ad eundem amorem aliis communicandi desiderio inardescit.

At non solum Oratoris, verum etiam Jurisperiti magis positivis verbis idem principium asseritur. « Nullus negabit, inquit clarus Vromant, unionem cum Deo esse verum fundamentum fructuosi apostolatus apud proximum... imo, scribit Wallefaert, status vitae perfecti apostolatus consistit principaliter in vita contemplativa, secundario in vita activa, ita quidem ut haec ex plenitudine et abundantia illius derivet, unde lumen directivum et spiraculum caritatis haurit » <sup>(3)</sup>.

Hinc satis opportune Benedictus XV f. r. scripsit in sua Encyclica sub die 30 Novembris 1919: « Qui se ad apostolicum munus recte accingit, unum necesse est ante omnia sibi comparere, utpote maximi momenti et ponderis, videlicet vitae sanctionem... Sit igitur ille humilis, obediens, castus, sit praecipue pius sanctaeque orationi deditus. Quanto enim fuerit Deo conjunctior, tanto plus ei divinae gratiae et adjumenti impertietur » <sup>(4)</sup>.

Quam doctrinam jam antea quidam Ordo religiosus secutus erat, qui eundem ac nos specialem spiritum orationis et solitudinis profitetur, eaque de causa questio in eo mota fuerat, utrum Missionalis spiritus cum spiritu Ordinis (nempe Carmelitarum Discalceatorum) congrueret. Tandem Capitulum Generale, anno 1632, affirmativam decisionem tulit, simulque decrevit ut pro Missionibus deligerentur Religiosi « maxime addicti contemplationi », iique temporis spatium pro immediata praeparatione

---

<sup>(1)</sup> *Bollettino*, 1927, p. 233.

<sup>(2)</sup> II, II, 2. 188, a. 6, c.

<sup>(3)</sup> VROMANT, *Jus Missionariorum*, II, n. 371, ubi etiam citatur opus « L'âme de tout apostolat » quod nos alibi commendavimus. — *Bollettino*, 1927, pag. 233.

<sup>(4)</sup> *Acta Apost. Sedis*, 1919, p. 449.

transigerent in aliquo Conventu profundioris solitudinis, quem ipsi vocant « desertum ».

Normae hujusmodi iis peculiari modo conveniunt missionariis qui in primis se Passionistas, seu homines vitae interioris, esse profitentur. Hac profecto de causa S. Fundator noster, cum primum egit de Religiosis nostris ad Missiones apud infideles mittendis, in candidatis exigebat intensam vitam interiorem, ideoque scribebat: « Necessarium est magis ac magis se dispo- nere praecipue assidua oratione, unione cum Deo ac studiis necessariis » (1). Et alibi: « Ipsi (delecti videlicet candidati) vir- tutibus, orationi et animi collectioni assiduam operam dederunt, studiisque necessariis » (2).

Paucis igitur affirmare possumus nostram efficientiam in Missionibus potissimum ex spiritu Passionis derivari, videlicet ex sollicito ardentique amore erga omnes vitae nostrae rationes, qui praesumitur adesse in illis qui ad Missiones destinantur.

Hac forsitan de causa, haud inveniuntur normae peculiare pro Missionariis nostris ad infideles, sive ex parte Divi Fundatoris, sive opera ejus immediati successoris, sub cujus regimine Missio in Bulgaria initium habuit. Sane Superiores illi, prudentia et sanctitate conspicui, pro certo habebant Missionarios a se delectos adeo spiritu Congregationis esse imbutos, ut ipsis fidere possent, non solum pro ejusdem spiritus conservatione et pro « regularitate » cum munere apostolico compossibili, sed etiam pro normis seu statutis Missionis, post congruam experientiam, Superiorum Majorum approbationi proponendis, sicut existunt sive in Bulgaria sive in ceteris nostris Missionibus. Spiritus si- quidem cujusque Religionis est, juxta S. Francisci Salesii doctri- nam, qui Regulas suggestit, easdemque omnes informat. Ipse etiam Legifer noster, sicut ex Processibus accepimus, persuasum habebat Deum Fundatoribus praecipue inspirasse Regulae spi- ritum, ad cujus normam, divina suffulti ope, Regulae peculiare dispositiones dictaverant. Ita Missionarii nostri, si vere spiri- tum Congregationis habuerint, non solum Regulas et Statuta no- stra, quoad fieri possit, servabunt, et meliorem in modum ora- tionem, solitudinem et paupertatem colent, ad exemplum Sum-

---

(1) *Lettere*, III, p. 170.

(2) *Ibid.*, p. 521.



mi Pontificis Urbani V, qui vel in Palatio Apostolico cella uti voluit eadem suppellectili ac in Monasterio instructa, sed etiam, sicut decessor noster, Silvius a S. Bernardo ven. rec. significabat in quadam sua epistola ad Provincias Americanas, cum in eo essent ut missionem Sinensem suscipere, futurum erit ut in eorum vita necessitatibus muneris apostolici adaptanda, eodem spiritu ducantur, salva semper vitae interioris potioritate et virtuali saltem vitae regularis amore.

Equidem fatendum est, quamdiu Missio seu alicujus regionis animarum cura nostris concredita est, plerumque difficile esse ibidem eodem tempore solitarium Recessum, cum plena et stabili observantia constituere, ob insufficientem numerum religiosorum qui ab animarum cura sint liberi. Interim tamen valde exoptandum, imo necessarium est, in nostris Missionibus domum centralem constituere, sicut Rusciukini et Shenchowfu factum videmus, quo Missionarii, interjectis saltem temporibus, conveniant. ut animum mentemque colligant, ac spiritu reficiantur; donec easdem Missiones ad illam catholicitatis maturitatem perduxerint, quae eos sinat, animarum cura Clero saeculari relicta, unice incumbere ministeriis nostris, cum solitariis Recessibus plenioris observantiae congruentibus, quod profecto finis est ab Ecclesia intentus, ad quem nos etiam adlaborare oportet.

En igitur, Patres et Fratres dilectissimi, quae in omnium vestrum memoriam reducere, hac praeclara occasione, opportunum visum fuit, etiam ad opinionem ac magnam aestimationem de Missionariis nostris confirmandam, qui, ut alias scripsimus, « debent, praeter ceteris Sodalibus Congregationis nostrae, sanctiorem ducere vitam, flores universae Sodalitatis esse, et bonus odor Christi in omni loco » (1).

De aliis aspectibus problematis missionalis, quod majores in dies curas Superiorum sibi vindicat, loqui nolimus, cum id, instante jam capituli generalis celebratione, abs re videatur. Neque de ministerio animarum vobis locuti sumus, quippe quod summa prudentia ac sapientia moderantur praeclari Antistites Missionum nostrarum, honor et decus Congregationis nostrae, cujus nomine multiplices gratias heic illis deferimus, id potissi-

---

(1) *Bollettino*, 1927, p. 238.

num optantes, ut in eis copiosius in dies perficiatur orationis liturgicae fructus: « Stent et pascant in fortitudine tua, Domine, in sublimitate nominis tui ». Vos vero Patres et Fratres amatissimi, eorum estote consolatio et dociles cooperatores. Sic digni successores eritis duorum illorum insignium Missionariorum qui, centum quinquaginta ante annos, primi omnium profecti sunt, pericula et difficultates experti, quae nunc vix animo effingere possumus. Ipsi profecto optime de Congregatione nostra meriti sunt, idcirco justum ac sanctum est eorum memoriae honorem et obsequium tribuere. P. Franciscus a Divino Amore reliquum vitae suae in servitio Missionis consumpsit; isque fuit primus noster Episcopus Missionarius; ad Sedem enim Nicopolitanam eVectus, in ea decessit anno 1813. P. Jacobus a Quinque Vulueribus in Italiam postea reversus, Provincialis primum renuntiatuS fuit, et anno 1811 Romae obiit, cum munus I Consultoris Generalis haberet. Nomen eorum permaneat in aeternum, permanens ad successores eorum insignium virorum gloria.

Omnes denique Sodales adhortamus ut strenuos Missionarios nostros continuis precibus adjuvent, exemplo laudandae illius Associationis quam eo fine sub nomine Gemma Galgani constituerunt Sodales nostri Americani <sup>(1)</sup>. Interim et Nos super illos imploramus specialem protectionem S. Patris nostri et Protectorum Missionum S. Francisci Xaverii et S. Teresiae Lexoviensis, praecipue vero protectionem B. Mariae V. Apostolorum Reginae. Jesus Crucifixus eorum labores benedicat, et fructus apostolatus eorum multiplicet. Missionariis tandem ac Sodalibus universis gaudia paschalia et coelestium benedictionum copiam peramentem a Domino imploramus.

Datum Romae, die 25 Martii 1931.

LEO A S. CORDE JESU, *Praep. Gen.*

PETRUS A PRET.MO SANGUINE, *Secretarius.*

---

(1) Gemma's League of Prayer.

III.

**Communicationes et Monita**

CATALOGUS GENERALIS ET ELENCHI PROVINCIARUM.

« Catalogus Generalis Sodalium Congregationis SS. Crucis et Passionis D. N. J. C. », et « Elenchus Provinciarum et Reces-  
« sium Congr. SS. Cr. et Pass. D. N. J. C., additis Locis Mis-  
« sionum, Monasteriis Monialium et Institutis Sororum » iam  
prodierunt in lucem, et prostant apud nostram Secretariam Ge-  
neralem.

Pretium Catalogi est L. 10.

« Elenchi » » 2.

IV.

SACERDOTES NOSTRI TITULIS ACADEMICIS UTI PROHIBENTUR.

Cum mens Curiae Generalis, in permittendo ut aliqui no-  
stri Sacerdotes, ad docendum destinati, aliquod athenaeum  
Urbis ex voto Capituli Generalis frequentarent, ea fuerit ut ii-  
dem iuxta receptam Maiorum nostrorum consuetudinem et  
exemplum aliorum Ordinum, titulo forte adepto nunquam ute-  
rentur, ad omnem novitatem hac in re praecavendam et ad hae-  
reditatem spiritus sancte servandam, edicitur, ipsis omnibus  
prohibitum esse, ne supra dictis titulis quoquo modo sive pu-  
blice sive privatim utantur.

V.

DE EDITIS MEMORIS FUNEBRIBUS.

Memoriae funebres (Cenni Necrologici) pro sodalibus de-  
functis anno 1930 in lucem prodierunt atque ad singulas provin-  
cias nunc mittuntur. Qui easdem forte non receperit, vel alia  
exemplaria desideraverit, Romam scribat.

## CHRONICA CONGREGATIONIS NOSTRAE

---

### I.

#### ROMAE IN RECESSU SS. IOANNIS ET PAULI.

##### STATIO AD SS. IOANNEM ET PAULUM.

Die 20 Februarii fuit Statio in nostra Basilica SS. Ioannis et Pauli, solemniter ritu consueto et magno christifidelium concursu. Supplicationi autem vespertinae etiam hoc anno interfuit Em. mus Cardinalis Titularis Eugenius Pacelli, eximia sua pietate magis quam excellentia dignitatis omnes in admirationem rapiens. Quae omnia magna cum laude enarravit ephemeris cui titulus « *L'Osservatore Romano* ».

##### PROFESSIO PERPETUA.

In festo Solemnis Commemorationis Passionis D. N. I. C., die 10 Februarii, ante veneratas Exuvias S. Patris Nostri Legiferi, vota perpetua nuncupavit in manibus Adm. R. P. Stanislai a Virgine Perdolente, quarti Consultoris Generalis, *Confr. Paulus Aloisius a SS. Crucifixo*, e Prov. Purissimi Cordis B. M. V.

### II.

#### PROVINCIAE CONGREGATIONIS NOSTRAE.

##### PROVINCIA S. JOSEPH.

*Professiones temporariae.* — In Recessu SS. Salvatoris, durante anno 1930, vota temporaria emisissent: Die 22 Junii, *Frater Marcus ab Immaculata Conceptione*. — Die autem 28 Novembris, *Confratres: Athanasius a Septem Doloribus, Seraphim a Spiritu Sancto, Bonaventura a N. D. ab Animabus Sanctis, Hieronymus a Matre Dei, Aloisius ab Infante Iesu, et Chrysostomus a B. Maria V.*

PROVINCIA A LATERE CHRISTI.

*Professiones perpetuae.* — In Recessu B. M. V. a Catena. die 1 Novembris 1930, vota perpetua emis(er)unt *Patres: Fulgentius a Jesu Infante, Pius ab Immaculata, et Angelus ab Annuntiatione.*

*Ordinationes sacrae.* — Die 8 Februarii 1931, Sacro Praesbyteratus Ordine insigniti sunt *Patres: Pancratius ab Assumptione, Angelus ab Annuntiatione, et Fulgentius a Jesu Infante.*

**Benefactores cooptati:**

In albo benefactorum Congregationis nostrae, patentibus litteris R.mi P. Praepositi Generalis, recensiti sunt:

Die 14 Januarii 1931: *D.ni Julianus et Anna Golebiowcy et eorum familia, loci Busk (Polonia).* — *D.ni Felix et Sophia Grzybowcy, eorum soror et fratria D.na Marianna Piotrowska, loci Dzierzenin (Polonia).*

---

## BIBLIOGRAPHIA

P. ALBERTO DEL CUOR DI MARIA C. P., *Vita del Servo di Dio P. Giovanni dello Spirito Santo, giovane sacerdote Passionista* (Montalto Marche, Tipogr. Sisto V, 1930), pag. 150, cm. 20 × 13.


Ad magis pervulgandam memoriam huius Servi Dei, de quo nuper inchoatus est processus ordinarius (*Acta*, vol. 11, pag. 108); Auctor alteram editionem lectoribus offert istius biographiae. Pauca sunt addita, variae et pulchrae insertae sunt imagines; qua simplicitate autem, fidelitate et affectu sit opus compositum, optime sciunt qui iam legerunt. Nec alius certe virtutes Servi Dei melius illustrare poterat quam Auctor noster, qui Directoris munus pluribus annis erga eum exercens, cor eius penitus cognovit. Legant igitur multi, praesertim iuvenes, ut ad innocentiam servandam, ad amorem Dei, ad tenerrimam devotionem erga Beatissimam Virginem, ad perfecte implenda sua officia inflammentur; legant iuvenes nostri et magis magisque sciant quomodo per exercitia vitae quotidianae, per humilem obedientiam, modestiam, silentium, orationem, ad religiosae perfectionis fastigium ascendere valeant.

*La Desolata, ovvero: Un'Ora di compassione a Maria SS. Addolorata la sera del Venerdì Santo e nei Venerdì e Sabati dell'anno*, 2<sup>a</sup> ediz. (Roma, Scala Santa), pag. 45, cm. 14,5 × 9.

Animae fidei valde acceptum et ab Ecclesia est indulgentiis ditatum pium exercitium in honorem B. Virginis Dolorosae vespere feriae sextae in paraseve vel mane sabbati sancti, recolendo dolores moestissimae Matris post mortem Filii sui Unigeniti. Ad huiusmodi exercitium fructuose peragendum optimum praebet subsidium haec opella a nostro P. Aurelio conscripta, et nunc iterum edita (*Confr. Bollettino VIII* (1927), pag. 376). Revera suavem spirat pietatem animumque replet tenera compassione et affectu erga dulcissimam Matrem, cui peccata nostra tot intulere dolores.

P. L. P., *Differenze fondamentali fra il cattolicesimo e il protestantesimo* (Varese, Tipogr. dell'Addolorata), pag. 23, cm. 14 × 9.

Paucis his paginis P. Aloisius a S. Carolo praecipuas notat differentias inter doctrinas catholicas et protestantium placita. Opusculum est omnium intelligentiae accommodatum, et opportune diffundi potest inter fideles ut caveant insidias haereticorum, qui nostris diebus omni ope nituntur ad suos errores in Italia spargendos.



## DEPOSITO CORPORE AD CHRISTUM MIGRAVERUNT

---

### MONITUM

In exarando nuncio funebri nunquam omittatur: Nomen Congregationis vel Instituti; dies, mensis et annus mortis; nomen loci tam sacrum, quam saeculare; nomen Provinciae; nomen religionis, et saeculi, defuncti vel defunctae; dies, mensis et annus primae professionis.

Nuncium vero, a Rectore domus in qua defunctus morabatur, mittendum est tum ad Secretarium Generalem, tum etiam ad singulos Provinciales, qui tenentur illud transmittere ad omnes Recessus sibi subiectos, necnon ad Moniales et Sorores a Passione, quarum domus intra ambitum cuiusque Provinciae continetur, juxta normas in hac ephemeride alias editas. (*Bollett.*, an. 1, pag. 83).

✓ 36. — *Die 28 Decembris 1930*, in religiosa domo Septem Dolorum (Santiago), Soror MARIA A S. JOSEPH (Maria Balza), quae, nata anno 1883, vota nuncupaverat anno 1916.

✓ 1. — *Die 13 Januarii 1931*, in Recessu Sanctae Mariae Gratiarum, Prov. B. M. V. Dolorosae, P. FRANCISCUS PAULUS A CORDE JESU (Francesco Paolo d'Andrea), qui, natus anno 1872, vota nuncuparat die 16 maii 1897.

✓ 2. — *Die 26 Januarii 1931*, in Recessu Immaculatae Conceptionis (Jamaica), Prov. S. Pauli a Cruce, P. LAURENTIUS A MATRE DEI (James Stevens), qui, natus anno 1895, vota nuncuparat die 3 Augusti 1913.

✓ 3. — *Die 28 Januarii 1931*, in Recessu Sanctae M. Gratiarum, Prov. B. M. V. Dolorosae, P. CANDIDUS AB ASSUMPTA (Benedetto del Proposto), qui, natus anno 1866, vota nuncuparat die 12 Augusti 1889.

- ✓ 4. — *Die 31 Januarii 1931*, in Monasterio Praesent. B. M. V. (Tarquinia), Mater MARIA ANGELICA A JESU NAZARENO (Maria Ciccioli), quae nata anno 1865, vota nuncuparat die 18 Martii 1894.
- ✓ 5. — *Die 5 Februarii 1931*, in Recessu S. Christi a Luce, Prov. S. Familiae, Frater JOANNES BAPTISTA A S. ANDREA (Andres de Portuondo), qui, natus anno 1863, vota nuncuparat die 22 Julii 1897.
- ✓ 6. — *Die 25 Februarii 1931*, in religiosa domo S. Crucis (Sutton), Soror MARIA LIGUORI JOSEPH (Elisabeth Magnier), quae, nata anno 1848, vota nuncuparat die 8 Septembris 1880.
- ✓ 7. — *Die 30 Februarii 1931*, in religiosa domo Limache (Chile), Soror M. JOANNA JOSEPH A PUERO INFANTE DE PRAGA (Cristina Vazquez), quae, nata anno —, vota nuncuparat die 2 Februarii 1916.
- ✓ 8. — *Die 7 Martii 1931*, in Recessu S. Joseph (Pontefelcino), Prov. Pietatis, Frater HILARION A SS. REDEMPTORE (David De Stefani), qui, natus anno 1859, vota nuncuparat die 9 Novembris 1886.
- ✓ 9. — *Die 13 Martii 1931*, in religiosa domo Sacri Cordis (Halifax), Soror MARIA TERESIA A JESU (Winifred Slevin), quae, nata anno 1903, vota nuncuparat die 3 Septembris 1928.
- ✓ 10. — *Die 9 Aprilis 1931*, in Recessu S. Mariae Angelorum (Sora), Prov. B. M. V. Dolorosae, Pater GRIMUALDUS A S. PAULO A CRUCE (Paolo Caramadre), qui, natus anno 1888, vota nuncuparat die 4 Aprilis 1904.
- ✓ 11. — *Die 10 Aprilis 1931*, in Recessu S. Gabriellis, Prov. Pietatis, Pater LEONARDUS A S. JOANNE BAPTISTA (Gennaro Brodella), qui, natus anno 1870, vota nuncuparat die 15 Augusti 1886.

---

*Imprimatur: LEO A CORDE JESU, Praep. Gen.*

---

P. POLISSENO ORLANDI (P. EMIDIO, Passionista) *Direttore responsabile*

---

ROMA — *Tipografia Agostiniana* - Via Giustiniani, 15-17 — ROMA



# Acta Congregationis

a SS. Cruce et Passione D. N. J. C.

---

Jesu Christi Passio sit semper in cordibus nostris

---

## ACTA CAPITULI GENERALIS XXXIII

Congregationis a SS. Cruce et Passione D. N. J. C.

Romae habiti in Recessu SS. Joannis et Pauli

A die 5 ad diem 11 Mai 1931

---

Generalibus Comitibus, quae statis temporibus in Ordinibus ac Religiosis Congregationibus, ex praescripto sive Juris Canonici, sive peculiarium eorundem statutorum, fiunt, aptari illud optime potest S. Evangelii: « Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum » (Matth. 18, 20). Etenim vere in nomine Domini delecti viri ex singulis hujuscemodi Institutis congregantur, cum ad res agendas quae maxime in Dei gloriam cedunt, in unum coadunantur. Agitur siquidem in ipsis de electione Superiorum, quod quanti momenti sit, nemo est qui non videat, cum, ut optime asserunt Regulae et Constitutiones nostrae de supremo Congregationis moderatore, « a capite pendere maxime soleat membrorum sanitas » (Ss. Reg. c. XXX), ac de aliis quibuscumque rebus, quae in bonum Sodalitatis vertere possunt.

Porro, cum singulari providentia sua has religiosas institutiones prosequatur Deus, his certo sessionibus assidet; quodque ut fiat, et orationibus et votis ab omnibus postulatur, ut scilicet in nomine Domini, absque cujus auxilio incassum cuncta cedunt, omnia et exordiantur et firmentur.

Haec probe sciens R. mus P. Praep. Generalis Leo a S. Corde Jesu, expleto jam jam suae praelaturae sexennio, litteris datis die Nativitatis Domini a. 1930, Capitulum Generale totius

Congregationis XXXIII, Romae, die 30 Aprilis 1931 exordium indixit ac preces injunxit pro felici ejusdem exitu.

Auspicata hujusmodi celebrationis dies jam illucescebat, cum faustum Congregationique nostrae summopere honorificum nuncium latum est, elevationis scilicet ad archiepiscopalem dignitatem R.mi Praep. Generalis Sodalitatis nostrae, ejusque renunciationis ad legationem apostolicam apud Indiarum Orientalium Gentes, quod gaudio maximo cunctos affectit, simulque moerore ob tanti viri, cui Congregatio nostra tantopere debitor est, cujusque scientia, pietate, prudentia mirum in modum decorata fuit, amissionem. Quod felix faustumque nuncium PP. Vocales movit, praeceuntibus qui gremio Generalis Curiae erant, ad suum in Urbem adventum praeoccupandum, ut consecrationi episcopali R.mi P. Praepositi, quae die 26 Aprilis, III post Pascha Dominica, futura erat, astant, eique fausta feliciaque omnia coram adprecarentur.

Consecratio die supra relata habita est in Sacello S. P. N. Pauli a Cruce, per manus E.mi Card. Van Rossum, Congregationis Propagandae Fidei Praefecti, ac die festo ejusdem S. Patris nostri, astantibus fere omnibus PP. Vocalibus, consecratus episcopus in Basilica Ss. Joannis et Pauli, primum pontificalia solemniter peregit.

Die igitur 30 aprilis, prouti in Convocatoriis litteris statutum fuerat, coetibus praeliminaribus operam daturi, PP. Vocales mane hora nona in aulam capitularem convenerunt, ibique, suetis precibus divinam opem pro Capituli laboribus postulaverunt. Deinde Exc.mus D. D. Leo a S. Corde Jesu, Generalis Praepositus et Capituli Praeses, hanc, quae sequitur, ad Patres allocutionem habuit:

« Antequam hanc primam sessionem praeliminarem inau-  
« spicemur, brevem habeo allocutionem latinam, ut omnes sine  
« interprete eam intelligere valeant. Imprimis tamen declaran-  
« dum est qua ratione ego huic Capitulo adesse et praesesse pos-  
« sim, quum promotione ad episcopatum et munus Delegati  
« Apostolici, eo ipso a munere Praep. Generalis cessare debuis-  
« sem. Quocirca Ss.mus Dominus Noster Pius PP. XI, vivae  
« vocis oraculo, benigne jubere voluit me e contra in eo mune-  
« re permanere donec expleatur capitulum. Cujus pontificiae  
« voluntatis authenticum documentum allegabitur in Actis.

« Et nunc, electi Patres, magno gaudio vos saluto qui ex  
« universa Congregatione huc convenistis ad celebrandum  
« XXXIII Capitulum Generale, quos hic, Romae, vel in respec-  
« tivis Provinciis diu jam novi, et quibus me vincunt aurea  
« vincula amicitiae et fraternitatis. Ideo ingenti desiderio hoc  
« Capitulum convocaveram, simulque expectanti animo, igno-  
« rans quanam mihi futura essent. Praevidere sane non po-  
« teram me huic Capitulo praesessurum ornatum episcopali  
« dignitate, ut nunc contingit, utique non meis meritis, sed,  
« juxta receptam aptissimamque formulam, Dei *miseratione* et  
« Apostolicae Sedis *gratia*.

« Etsi autem huic Capitulo hoc obtingat singulare ut eidem  
« praesit Praepositus Generalis episcopus, non est tamen pri-  
« mum Capitulum Generale cui praesideat Pontifex e Congre-  
« gatione nostra. Septimo namque Capitulo praefuit piissimus  
« Antistes Thomas Struzzi, et undecimo B. Vincentius Ma-  
« ria Strambi, S. Fundatoris filii praedilecti ambo, ejusque ve-  
« stigii et spiritui veraciter fideliterque inhaerentes.

« Horum exemplum vobis et mihi proponere juvat sub  
« horum Comitiorum initio, ad digne implendum duplex mu-  
« nus nobis commissum, eligendi nempe Superiores secundum  
« Deum et S. Fundatorem nostrum, condendique opportuna  
« decreta, si quae invenientur necessaria vel utilia. Illustrissimi  
« illi Antistites et Capitula quibus praefuerunt vere ducebantur  
« spiritu et sensu S. Pauli a Cruce, quem ipsi tam intime  
« noverant; spiritu et sensu, ajo, qui etiam norma nostra esse  
« debet, his praecipue temporibus quibus nostrae vivendi ra-  
« tioni tot insidiae et obstacula intus forisque obsistunt.

« Ad illum spiritum et sensum jam appellabat Antecessor  
« noster Bernardus a S. Joseph, in oratione ad PP. Vocales  
« memorandi Captuli cui praefuit, de mandato Summi Ponti-  
« ficis, E. mus Card. Nina, et a quo dependit utrum Congrega-  
« tio nostra paternarum traditionum aemulatrix permaneret vel  
« apostaticam viam iniret.

« Hoc itaque dilemma hodie nobis palam minime adver-  
« satur. Subtiliter tamen et sensim sine sensu hoc bivium pe-  
« renne proponitur cuivis Religioso Instituto, speciatimque oc-  
« casione Capitulorum Generalium, quae, ut in his comitiis con-  
« vocandis innui, praecipuam habent partem in Congregatio-

« nis nostrae sortem et historiam plasmandam. Sed nemo no-  
« strum anceps haeret circa viam eligendam, cum omnes cor-  
« unum simus et anima una, in conservando, firmando et pro-  
« movendo spirituali patrimonio nostrae negotiationi commisso.

« Ast, dum finis nobis clare praefulget, non aequè mani-  
« festa sunt media adhibenda, nempe quinam sint ut Supe-  
« riores eligendi, quaenamque decreta proponenda vel conden-  
« da. Hic nobis subveniat S. Pauli a Cruce spiritus et sensus,  
« qui in dubiis dirimendis sit veluti spiritualis « aestimativa »  
« et prudentiae nostrae forma, ut vere secundum Deum et Fun-  
« datorem nostrum, mandatum adimpleamus.

« Utique superfluum esset vobis spiritum et sensum illius  
« exponere, quem omnes optime noscimus. Omnes igitur vere  
« secundum illum spiritum et sensum operemur, ut sinceri  
« filii sancti Patris, ut et ipse ut veros suos filios nos agnoscat  
« et numquam mereamur illam exprobrationem quae accidisse  
« fertur quibusdam religiosis. Dum scilicet quadam die coram  
« sancti sui Fundatoris sepulcro quamdam antiphonam cane-  
« rent qua illum vocabant Patrem, e sepulcro exiit vox dicens:  
« Nec ego pater, nec vos filii.

« Hoc a nobis Deus avertat detque nobis ut semper, eoque  
« magis in hoc Capitulo, sinceros et genuinos nos ostendamus  
« filios S. Pauli a Cruce. Ad tantam gratiam obtinendam hoc  
« Capitulum committo speciali patrocinio Jesu Crucifixi, B. Ma-  
« riae Virginis, S. Pauli a Cruce, B. Vincentii M. Strambi et  
« omnium protectorum Congregationis nostrae, necnon Ange-  
« lorum Custodum nobiscum hic praesentium.

« Item vobis communico Specialem paternamque benedic-  
« tionem Summi Pontificis, qui singulari affectu mihi commisit  
« ut ejus vice et nomine fausta quaeque vobis deprecarer, pro-  
« sperumque Capituli initium, progressum et exitum.

« Restat ut publice exprimam meam, et certe etiam ve-  
« stram, displicentiam de quinque Patrum Vocalium absentia,  
« nempe P. Beniamini ab Immaculata Conceptione, II Consul-  
« toris Generalis; P. Tiburtii a S. Petro, Praepositi Provinciae  
« S. Cordis Jesu; P. Sebastiani ab Immaculata Conceptione,  
« Praepositi Provinciae S. Gabrielis; P. Felicis a Jesu Crucifixo,  
« II Consultoris Provinciae S. Michaelis Archangeli; P. Ber-  
« nardi ab Immaculata Conceptione, II Consultoris Provinciae

« S. Patricii, quos aegra valetudo procul detinet et pro quibus  
« meam facio orationem Ecclesiae pro fratribus absentibus:  
« Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.

« Quibus praemissis et divino praesidio confisi, nunc prae-  
« liminares sessiones exordiri possumus, addita commendatione  
« ut ordine, rectitudine et caritate omnia fiant, in nomine Do-  
« mini.

Hoc expleto brevi sermone, Praeses Capitulo eligendum proposuit aulae custodem, P. Vincentium a Quinque Vulneribus, qui, omnibus consentientibus, in aulam vocatus, juramentum praestitit de secreto sui muneris servando.

Postquam vero ab aula electus Custos discessisset, Exc.mus Praeses Capituli Secretarium seu Actuarium pro coetibus praeparatoriis eligendum proposuit P. Amidaeum a Matre Divini Pastoris, II Consultorem Provinciae S. Cordis B. M. V., cui propositioni omnes, latis secretis suffragiis, assentiti sunt.

Qua electione peracta, P. Vocales ex ordine proponere coeperunt quidquid ab bonum Congregationis conducere sibi videbatur, eorumque propositiones actuarius breviter calamo excepit. Harum quaestionum examen, in partes apte distributarum, delectis Commissionibus, quae post electiones super ipsis referrent, traditum est. Documenta etiam a Praepositis Provincialibus tradita, Exc.mus Praeses expendenda dedit duobus Capitularibus, nempe P. Cons. Gen. Stanislao a Virgine Perdolente et P. Procuratori Generali Tito a S. Paulo a Cruce eaque in altero caetu praeliminari, horis vespertinis ejusdem diei habito, ipsis referentibus, adprobata sunt.

Cui vespertino coetui adfuit etiam P. Beniaminus ab Immaculata Conceptione, II Cons. Gen., qui ob morbum in nosocomio degit. Omnibus itaque astantibus, tractatus incepit de meritis elegibilium, postquam gravibus verbis Exc.mus Praeses Patres monuisset de secreto omnimode servando atque Vocales omnes id jurejurando polliciti essent.

Quae tractatio prosecuta est etiam in aliis coetibus praeparatoriis tum matutinis, tum vespertinis horis habitis, sequentibus diebus, nempe feria VI, sabbato, dominica ac mane feriae II; dies autem dominica a sessione vespertina vacavit.

Antequam vero feria II, die scilicet 4 Maji, coetus praeliminaris haberetur, in Sacello S. Patris Nostri consuetam allocu-

tionem, latino sermone, ad Vocales habuit Adm. R. P. Stanislau a Virgine Perdolente, IV Consultor Generalis, qui, felicem condicionem recordatus Sodalitatis nostrae, cum ex hac mortali vita SS. mus Legifer noster Paulus a Cruce ad superos migravit, bonumque spiritum Religiosorum nostrorum qui sub initio Congregationis floruerunt, quique spiritus etiam nunc, Deo miserante, viget, ejus in futurum conservationem maxime pendere ait a Superioribus, qui iis dotibus praediti esse debent, quas Regulae nostrae innuunt, quasque orator eloquentissime evoluit.

Cum autem tractatus de meritis eligibilium in coetu praeliminari matutino absolutus esset, agi coeptum est de aliquibus propositionibus PP. Vocalium Commissionum studio demandatis, pro opportunis decretis post electiones condendis.

Mane diei sequentis, 5 Maji, quae dies a festo S. P. N. Pauli a Cruce octava erat, in Sacello ejusdem beatissimi Fundatoris nostri, hora septima cum dimidio Exc. mus Praeses Missam praelatitiam de Spiritu Sancto pro re gravi celebravit, ad altare ministrantibus Patribus qui a consiliis ei sunt, atque omnibus Vocalibus, una cum Religiosa Communitate assistentibus, organo comitante et sacros hymnos choro decantante.

Deinde hora nona omnes iterum in Sacellum majus Recessus convenerunt, ibique SS. Crucifixi imagine manibus praelata Exc. mus Praeses, quem processionaliter PP. Vocales et hujus Communitatis Sodales sunt secuti, ad aulam Capitularem progressus est, hymnum « Vexilla Regis » interim una simul concinentes.

Ubi vero in aulam omnes pervenerunt ac preces in Rituali nostro praescriptae recitatae sunt, Exc. mus Praeses ceteros omnes abire et Vocales tantum consistere jussit. Postea Vocales omnes proprio nomine singulatim recensiti sunt, et omnes activa voce fruentes *adsum* responderunt, praeter quatuor, nempe: P. Tiburtium a S. Petro, Praep. Prov. a S. Corde Jesu; P. Sebastianum ab Immaculata Conceptione, Praep. Prov. a S. Gabriele; P. Felicem a Jesu Crucifixo, II Consultorem Prov. a S. Michaeli Archangelo; P. Bernardum ab Immaculata Conceptione, II Consultorem Prov. a S. Patritio, qui infirmitatibus praepediti suo juri sponte cesserunt.

Postquam autem Praeses praesentes sciscitatus fuisset an haec Comitia essent legitime congregata, et affirmativum responsum omnes dedissent, et suo ac Vocalium nomine Comitia canonicè congregata esse pronunciasset, eligendum proposuit Secretarium Capituli, P. Amidaeum a Matre Divini Pastoris, II Consultorem Provinciae a S. Corde B. M. V., qui eo munere in coetibus praeparatoriis jam functus erat, et Scrutatores pro colligendis et dirimendis suffragiis, nempe: I.<sup>um</sup> P. Aloisium a S. Carolo, I Cons. Prov. a S. Corde B. M. V., et 2.<sup>um</sup> P. Carolum a S. Joachim, I.<sup>um</sup> Cons. Prov. ab Immaculata Conceptione, latisque secretis suffragiis, propositis electionibus omnes sunt assentiti, statimque scrutatores electi una cum Praeside, tacto pectore jurarunt se fideliter munus esse impleturos et secretum circa acta in Comitiiis servaturos. Tunc Praeses cum aliis Superioribus Generalibus, depositis sigillis, officium dimisit, statimque ita Patres allocutus est:

« Jam adest, venerabiles Patres, momentum vere solemne  
« et decretorium hujus Capituli, in quo veluti Dei adjutores  
« esse debemus, conficiendo, ut ita dicam, et manifestando sacramentum voluntatis et auctoritatis suae, eligendo nempe  
« eum quem habebimus non solum vice S. Pauli a Cruce, sed  
« etiam, juxta mirum dictum S. Regulae, vice ipsius Christi.

« Magnum utique, imo tremendum est munus nostrum, a  
« quo universae Congregationis bonum maxime pendet. Ideo  
« jam per tres menses speciales orationes quotidie Deo obtulimus; ideo per hos tres dies solemni supplicationi operam dedimus; ideo capitulariter et privatim candidatorum merita  
« discussimus; ideo heri Adm. R. P. Stanislaus eloquentes,  
« doctas et vere opportunas nobis proposuit rationes et normas  
« prae oculis habendas; ideo hoc mane solemne sacrificium Deo  
« obtulimus; ideo tandem solemni juramento ipsum Christum  
« ejusque judicium appellabimus, in testimonium purissimae  
« intentionis nostrae.

« Quemnam igitur eligimus? Utique in multis offendimus  
« omnes, et vix unquam invenitur candidatus omni exceptione  
« major, dum plures haberi possunt commendatione digni. Si  
« quis igitur anceps adhuc haeret, hoc ultimum propono criterium, sensum nempe S. Pauli a Cruce, de quo sub initio Capituli sermonem habui. Dum nempe mox singuli soli schedu-

« las suffragatorias praeparabimus, unusquisque quaerat a se.  
« metipso: cuinam daret suum suffragium S. Paulus a Cruce?  
« Si pura omnino intentione coram Deo hoc fecerimus, sensus  
« Pauli suggeret nobis responsum et nomen ejus quem Deus  
« praedestinavit XVI Successorem S. Pauli a Cruce.

« Sic electio nostra nihil aliud erit, quam confirmatio et  
« manifestatio electionis divinae, et nos aliquando sine timore  
« de nostro suffragio Christo Judici respondere poterimus, dum  
« Congregatio nostra, duce electo Dei et nostro, semper aemu-  
« labitur charismata meliora et usque melius merebitur coram  
« Deo et hominibus. Ut efficacius hoc consequamur, nunc ite-  
« rum invocabimus Spiritum Sanctum hymno « Veni Creator ».

Quam allocutionem omnes religiosissime audierunt et dein cantus hymni « Veni Creator » subsecutus est. Postea consuetis humilitatis actibus a I Consultore Generali suo ceterorumque nomine editis, Exc.mus Praeses omnibus genuflexis absolutionem a censuris ad cautelam impertitus est, quam absolutionem et ipse genuflexus a digniore vicissim recepit.

Jurejurando etiam Vocales se obstrinxerunt, juxta Codicis praescriptionem, eligendi in Praepositum generalem quem secundum Deum eligendum existimassent.

Hisce praemissis, ad electionem deventum est *Praepositi Generalis*, ac post sextum scrutinium duae tertiae suffragiorum partes faverunt Adm. R. P. TITO A JESU, in Recessu SS. Salvatoris de Urbe Rectori, qui statim, omnium plausu, Praep. Generalis est renunciatus. Cum vero meridiana hora jam excessisset, noviter electo Praeposito electionis nuncium post meridiem dari statutum est, atque in sessione secunda, vespertinis horis ejusdem diei 5 Maji habita, aulam ingressus, peractae electionis audito decreto, maxime commotus animi sui sensa Capitularibus pandit, atque Dei auxilio, atque virorum quos Capitulum ei daturum erat in adjutorium, prudentia et consiliis confisus, munus acceptavit, ac se totum in bonum Congregationis impensurum promisit.

Postquam autem electus Generalis Praepositus tum a Capitularibus, tum a Religiosa Communitate obedientiam excepisset, omnes una simul in Ecclesiam se contulerunt; ibique ad Aram S. Patris nostri hymno *Te Deum* in gratiarum actionem



decantato, idem Praepositus solemnem benedictionem cum SS. Sacramento impertitus est.

In tertia sessione mane diei sequentis habita, ad electionem Consultorum deventum est, atque *I. Generalis Consultor* post sextum scrutinium renuntiatus est Adm. R. P. **BONAVENTURA AB ASSUMPTIONE**, Novitiorum Magister in Recessu Maria Schutz prope Vindobonam in Austria, eique statim per telegramma peractae electionis nuncium datum est.

In sessione sequenti quarta, vesperi habita, cum duae ex tribus suffragiorum partibus Adm. R. P. **INNOCENTIO A PATROCINIO S. JOSEPH**, I. Consultori Provinciae a S. Familia, in quarto scrutinio faverint, *II. Consultor Generalis* est renuntiatus, isque praesens cum lacrymis gratias agens officium acceptavit. In tertium vero *Consultorem Generalem* post secundum scrutinium electus est Adm. R. P. **JOACHIM AB IMMACULATA CONCEPTIONE**, in Recessu Latané in Gallia Rector, eique per telegramma nuncium datum est.

Tum demum ad electionem deventum est *IV. Consultoris Generalis*, ac post quintum scrutinium, cum horae jam cecisissent et dies, de Capituli consensu Praeses in sessionem sequentem reliqua scrutinia amandavit.

In hac vero sessione, quae quinta fuit, post tria alia scrutinia, nempe octo, in *IV. Consultorem Generalem* electus est Adm. R. P. **ALOISIUS A S. CAROLO**, I. Consultor Provinciae a S. Corde B. M. V., qui munus sibi delatum humillime acceptavit.

Tum demum in eadem sessione suffragia lata sunt pro electione *Procuratoris Generalis*, et post primum scrutinium ad id muneris electus est Adm. R. P. **TITUS A S. PAULO A CRUCE**, jam Procurator, qui voluntati Dei tam luculenter patefactae acquievit.

Postquam vero Communitati in aulam accitae peractarum electionum nuncium datum est, omnibus consentientibus statutum est ad reliquas sessiones arcessere etiam noviter electum *Generalem Praepositum*. Vesperi antem, in laetitiae signum, sessio vacavit.

Postero mane, in sessione sexta, agi tandem coeptum est de quaestionibus in coetibus praeparatoriis a PP. Vocalibus propositis, quarum studium quinque delectis Commissionibus

datum fuerat. Antequam tamen huic disceptationi daretur locus, Exc.mus Praeses de convenientia in aulam arcessendi Adm. R. P. Victorem a S. Nicolao, Recessuum nostrorum in Bavaria et Austria Commissarium, ut reliquis sessionibus astaret, sine tamen decidente voto, Patribus verba fecit, et cum omnes, latis secretis suffragiis, rem probaverint, idem Pater in aulam vocatus est.

Item Exc.mus Praeses certiores fecit PP. Capitulares de acceptatione munerum sibi delatorum ex parte P. Bonaventurae ab Assumptione et P. Joachim ab Immaculata Conceptione.

Tum denique singularum Commissionum praesides singulatim referre coeperunt de quaestionibus sibi dirimendis propositis, atque variis opinionibus, super iisdem propositionibus et aliis data occasione subortis, hinc inde agitatis atque mature perpensis, opportuna decreta condita sunt quae inferius referuntur. Quae disceptatio ad tres alias sessiones producta est.

Tandem in sessione decima, dominica die, X Maji, Exc.mus Praeses Patres sciscitatus est an alias propositiones addendas haberent, ac post brevem disceptationem decretum aliud conditum est, quod inferius cum ceteris refertur.

Referente vero Adm. R. P. Justino ab Infante Jesu, Praep. Provinciae a S. Paulo a Cruce, qui Patribus vota pandit Missionariorum nostrorum in Sinis laborantium, Ven. Capitulum valde admirans zelum quo iisdem Missionarii se devovent in bonum animarum, et sacrificia quae subeunt ad Jesu Crucifixi regnum propagandum apud Sinenses non solum, sed etiam apud Bulgaros, Peruvianos et Afros Congicae regionis, iisdem grati sui animi sensus publice enuntiat, et heroicis eorum laboribus unanimi sensu plaudit, eo vel magis quod hisce postremis temporibus, usque ad sanguinis effusionem haec sacrificia progressa sint. Qui sanguis primus in Congregatione nostra pro Christi regno propagando effusus, vere mirifice profuit Sinensi nostrae missioni, cum ex tunc quiete bona ipsi frui licuerit. Etiam Bulgaricae Missionis operariorum hic meminisse juvat, cum ter quinquagesimus iste sit annus, ex quo iisdem Missionarii nostri, in laboribus, in necessitatibus, in tribulatione, in multa patientia vere fuerint, ut optime suis litteris ad universam Congregationem datis sub die 25 mensis Martii nuper elapsi, R.mus P. Leo a S. Corde Jesu, Praep. Generalis, recordatus est.

Post quam debitam grati animi significationem pars haec postrema actorum, una cum conditis decretis perfecta est, cum quoad cetera lectio jam facta fuisset, paucis interim notatis atque emendatis. Tum denique per reliquum diem Capitulum vacavit.

Cum autem nihil aliud agendum superesset, in sessione matutina undecima, Exc. mus Praeses, maxima commotione repletus, ita ut sermonem abrumpere interdum debuerit, ad Patres ait:

« Antequam his Comitibus finem imponamus mihi liceat, « Lectissimi Patres, Vobis postrema commendationis verba dirigere et grati animi sensus patefacere. Jam jam novi Congregationis universae Superiores, veluti ejusdem custodes, suas incipient excubias agere, ut receptum depositum sartum tectumque per sexennium servent. Mutati sunt custodes, at immutatum permanet munus a suis Praedecessoribus ipsis transmissum, curandi nempe ut Congregatio vivacior quidem et grandior in dies evadat, sed semper, sicuti Ecclesia ipsa, eodem spiritu eodemque sensu. Idcirco, dum nomine S. Pauli a Cruce majorum hereditatem Successori committo, ipsum ejusque adjutores simulque vos omnes, Lectissimi Patres, verbis alloquor Scripturae: « Interrogate generationem primitivam et diligenter investigate Patrum memoriam et ipsi docebunt vos et loquentur vobis et de corde suo proferent eloquia (Job. 8-8-10), commendantes nempe orationem, solitudinem, paupertatem, praecipue autem caritatem. Haec est via ambulate in ea et non declinetis neque ad dexteram neque ad sinistram » (Is. 30, 21).

« Ego quidem a Domino vineae in alium agrum missus, ad eum finem directe et immediate amplius collaborare non poterō. Sed votis et precibus et quocumque alio mihi possibili modo, Congregationis honorem et prosperitatem semper et ubique promovebo. Ab ipsa enim, post Deum, quaecumque habeo recepi, et prae gratitudine eam semper amabo uti terram matrem. Rogo Vos, Lectissimi Patres, ut hic capitulariter congregati, Sodalitatis nomine acceptas habeatis gratias quas ex imo corde ago, pro innumeris beneficiis quae fere ab infantia, Congregatio mihi contulit. Corpore quidem abire cogor, sed cogitatione et affectu usque vobiscum maneo,

« et prae omnibus honoribus et dignitatibus ambio haberi et  
« esse Congregationis a Passione et S. Pauli a Cruce filius.

« Gratias speciales ago sex viris qui mecum Congregatio-  
« nis praefuerunt regimini, Consultoribus nempe, Procuratori  
« et Secretario, tum pro fideli et efficaci per sexennium colla-  
« boratione, tum pro multiformi studio et benevolentia occa-  
« sione meae ad Episcopatum promotionis. Vobis quoque om-  
« nibus, Patres Dilectissimi, Provinciales et Consultores, pro  
« generositate et pretiosis donis mihi eadem occasione conlatis,  
« gratias refero quamplurimas. Demum Sodalibus universis  
« sensus gratitudinis exprimo, iterumque, sicut in litteris con-  
« vocatoriis hujus Capituli, ab omnibus praesentibus et absen-  
« tibus veniam precor, si quandoque illud dictum: regere est  
« displicere, sive per sexennium, sive in hoc Capitulo, nolens  
« confirmavi.

« Nunc ergo valete in Domino, carissimi, et memores mei  
« estote in orationibus vestris donec aliquando sub Sodalitatis  
« vexillo iterum congregemur in regno Patris nostri qui in cae-  
« lis est ».

Quibus verbis religiosissime auditis et omnium commotio-  
ne ac plausu receptis, electus Generalis Praepositus breviter  
Capitulo verba fecit, gratias agens omnibus, praecipue vero  
Exc.mo Praesidi, atque iterum obtestatus est se totum in bonum  
Congregationis impensurum in concordia caritatis cum omni-  
bus, praesertim Superioribus, Congregationis nostrae alumnis.

Post meridiem vero ad audientiam specialem Summi Pon-  
tificis omnes Vocales una simul admissi sunt. SS.mus D. N. Pius  
PP. XI benevolentissime et paterne cunctos excepit, et postquam  
singulos ex ordine revisit et manum osculandam porrexit, thro-  
no considens omnes allocutus est et veluti praeteriti praesentis-  
que praemium et arrham futuri, non solum praesentibus, sed  
et nostratibus absentibus benedixit, cum domibus et operibus  
nostris, et orationi, cujus excellentiam, extulit, Sodalitatis no-  
strae se plurimum commendavit, in qua se valde confidere te-  
status est.

Tandem hora quarta omnes adhuc simul in aulam conve-  
nerunt, ubi haec acta et decreta perlecta quisque sua subscrip-  
tione firmavit.

# DECRETA

## CAPITULI GENERALIS XXXIII

---

### I. - De Congregationis regimine.

1. — Ven. Capitulum decrevit in Curiae Generalis constitutione quatuor Consultores deligendos esse, singulos ex quatuor usitatoribus linguis in Congregatione, nempe hodie italica, anglica, gallica, hispana.

### II. - De Observantia et Regularibus Statutis.

2. — Praepositis Provincialibus jus est preces speciales, etiam novendialia pro peculiaribus et transeuntibus necessitatibus indicendi.

3. — Ven. Capitulum Curiae Generali munus committit *Collectionem Consuetudinum nostrarum*, a s. m. viro P. Bernardo Maria a Jesu exaratam, in latinum versam, iterum imprimendi, iis emendatis quae suo iudicio emendanda sunt, ad mentem decr. 18 Cap. Gen. XXX.

4. — Item munus eidem committit novam editionem latino sermone exaratam *Statutorum Regularium nostrorum* edendi, ita tamen ut emendationum et additionum schemata prius examinanda mittantur ad singulas Curias Provinciales, ut factum est pro novissima editione SS. Regularum nostrarum.

5. — Cum plerique nostrorum enixe postulaverint ut in Litaniis B. M. V. addere nobis liceret aliquam peculiarem invocationem pro Congregatione nostra, idque concessum pro publica recitatione non fuerit, Ven. Capitulum statuit ut in earumdem privata recitatione, cum id ex declaratione oretenus facta liceat, post alias omnes addatur invocatio: « *Regina Congregationis nostrae, ora pro nobis* », Procuratori Generali commendando ut eandem invocationem indulgentiis ditari curet.

6. — Cum postrema anni dies, S. Silvestro sacra, fere ubique festivo ritu jam celebretur, nobisque horis vespertinis ejus-

dem diei ex Rituali nostro publica supplicatio in Ecclesiis nostris peragenda sit, Ven. Capitulum statuit ut eadem inter regularia festa iterum recenseatur.

7. — Ven. Capitulum Praep. Provincialibus mandat ut abusum cognominis saeculi utendi sine necessitate vel gravi causa, reprimant.

### III. - De ministeriis.

8. — Ven. Capitulum Curiae Generali auctoritatem tribuit, idque ejus prudentiae committit, approbandi scilicet directoria pro Missionibus pro singulis Provinciis, etiamsi in aliquibus levioris momenti a Statutis Regularibus nostris discrepent, dummodo a Regulis nostris praescripta adamussim serventur.

### IV. - De studiis.

9. — Ven. Capitulum, iis inhaerendo quae optime R. mus P. Praep. Generalis Leo a S. Corde Jesu, datis ad universam Congregationem litteris sub die 25 februarii 1930, scripserat de studio Passionis, singulis Provincialibus Curiis munus committit enixe curandi, ut parva manualia schematica pro singulis cursibus scholasticis parentur, futuro Generali Capitulo exhibenda.

10. — Ven. Capitulum, ad consulendum necessitati optimos lectores habendi, ut scientiis sacris tradendis aptiores evadant, decernit suaque auctoritate firmat, morem a praeterita Curia Generali, ad mentem Capituli Generalis XXXII in usum jam receptum, mittendi scilicet ad aliquod ecclesiasticum athe-naeum Urbis aliquos ex delectis omnium Provinciarum junioribus Sacerdotibus. In mentem insuper revocat Superiorum Provincialium dispositionem SS.mi D. N. Pii PP. XI, motu proprio sub die 27 aprilis 1924 expressam, circa obligationem ad scholas Instituti Biblici aliquem ex suis alumnis mittendi quem ad divinarum litterarum studia aptiorem judicaverint.

11. — Ven. Capitulum, cum non una sit in variis regionibus annorum computatio pro studio litterarum, quod ingressum in Novitiatum praecedere debet, in studiorum programme, ad tenorem decreti 19 Capituli Gen. XXXI, Romam ad Praep. Ge-

neralem mittendum, statuit ut Curiae Provinciales numerum annorum praefiniant, qui necessarius est ad eundem litterarium cursum explendum.

† LEO A SACRO CORDE JESU, *Archiepisc. Salamin. Praeses.*

Lucas a Virg. Pompeiana, *I. Cons. Gener.*

Beniamin ab Immaculata, *II. Cons. Gener.*

Eduardus a Spiritu S., *III. Cons. Gener.*

Stanislaus a Virgine Perdolente, *IV. Cons. Gener.*

Titus a S. Paulo a Cruce, *Procur. Gener.*

Alfridus a S. Joseph, *Praep. Prov. Praesentationis.*

Angelus a Virg. Perd., *Praep. Prov. V. Dolorosae.*

Famianus a Doloribus B. M. V., *Praep. Prov. a Pietate.*

Albanus ab Immac. Concept., *Praep. Prov. S. Joseph.*

Justinus ab Infante Jesu, *Praep. Prov. S. Pauli a Cruce.*

Cyprianus ad Immac. Concept., *Praep. Prov. S. Michaëlis Arch.*

Justinus a Virg. Assumpta, *Praep. Prov. S. Cordis B. M. V.*

Constantinus a Corde Jesu, *Praep. Prov. Immac. Conceptionis.*

Eugenius a S. Raphaële Arch., *Praep. Prov. a Latere Jesu.*

Alexander a S. Lucia, *Praep. Prov. a Sacra Familia.*

Eugenius a S. Joseph, *Praep. Prov. SS. Crucis.*

Jacobus a S. Aloisio, *Praep. Prov. Spiritus Sancti.*

Hemeterius a Nomine Mariae, *Praep. Prov. Pretiosiss. Sanguinis.*

Dominicus a Virg. SS. Cordis Jesu, *Praep. Prov. Matris S. Spei.*

Laurentius a S. C. Jesu, *Praep. Prov. Calvarii in Brasilia.*

Sebastianus ab Immaculata Concept., *Praep. Prov. S. Patritii.*

Maurus ab Immaculata, *I. Cons. Prov. a Praesent. B. M. V.*

Carolus a Virg. Gratiarum, *I. Cons. Prov. a Virg. Dolorosa.*

Raymundus ab Annuntiata, *I. Cons. Prov. Pietatis.*

Cuthbertus ab Imm. Corde Mariae, *I. Cons. Prov. S. Joseph.*

Cyprianus ab Imm. Concept., *I. Cons. Prov. S. Pauli a Cruce.*

Georgius ab Immac. Concept., *I. Cons. Prov. S. Michaëlis Arch.*

Gabriel a Corde Jesu, *I. Cons. Prov. SS. Cordis Jesu.*

Aloisius a S. Carolo, *I. Cons. Prov. Puriss. Cordis B. M. V.*

Carolus a S. Ioachim, *I. Cons. Prov. Immac. Conceptionis.*

Ildephonsus a Virg. Perdolente, *I. Cons. Prov. a Latere Jesu.*

Innocentius a Patrocimio S. Joseph, *I. Cons. Prov. Sacrae Familiae.*

- Dionysius a B. M. V., *I. Cons. Prov. SS. Crucis.*  
Eusebius a Latere Jesu, *I. Cons. Prov. S. Gabrielis a Virg. Perdolente.*  
Franciscus a Septem Doloribus, *I. Cons. Prov. Spiritus Sancti.*  
Benedictus a S. Joseph, *I. Cons. Prov. Pretiosissimi Sanguinis.*  
Epiphanius a SS. Corde Jesu, *I. Cons. Prov. Matris S. Spei.*  
Eduardus M<sup>a</sup>. a Jesu, *I. Cons. Prov. Calvarii.*  
Franciscus a VII Doloribus, *I. Cons. Prov. S. Patritii.*
- Hieronymus a S. Michaële Arch., *II. Cons. Prov. Praesentationis.*  
Raymundus a S. Andrea Ap., *II. Cons. Prov. a Virgine Dolorosa.*  
Angelus Aloisius a Matre Dei, *II. Cons. Prov. Pietatis.*  
Egvinus a S. Corde Jesu, *II. Cons. Prov. S. Joseph.*  
Benedictus a N. D. Victoriae, *II. Cons. Prov. S. Pauli a Cruce.*  
Raphaël a Spiritu S., *II. Cons. Prov. S. Cordis Jesu.*  
Amidaeus a Matre Divini Pastoris, *II. Cons. Prov. S. Cordis B. M. V.*  
Gulielmus a Matre Dei, *II. Cons. Prov. Immac. Conceptionis.*  
Flavianus a Virg. Dolorosa, *II. Cons. Prov. a Latere Jesu.*  
Petrus a S. Martino, *II. Cons. Prov. Sacrae Familiae.*  
Anselmus ab Assumptione, *II. Cons. Prov. SS. Crucis.*  
Bruno a Virg. SS. Cordis, *II. Cons. Prov. S. Gabrielis.*  
Athanasius a Matre Dei, *II. Cons. Prov. a Spiritu Sancto.*  
Isaias a Virg. Perdolente, *II. Cons. Prov. Pretiosissimi Sanguinis.*  
Flavianus a Vuln. Christi, *II. Cons. Prov. Matris S. Spei.*  
Ignatius a SS. Cordibus, *II. Cons. Prov. Calvarii.*

Romae, ex aula Capitulari in Rec. Ss. Joannis et Pauli, 11 Maji 1931.

AMIDAEUS A MATRE DIVINI PASTORIS  
*Capituli Actuarius.*

---



## ALLOCUTIO (\*)

ad Patres Vocales Capituli Generalis XXXIII habita die 4 Maii 1931  
in Sacello S. P. N. Pauli a Cruce ab Adm. R. P. Stanislaio a  
Virgine Perdolente IV Consult. Gener.

Pergratum ac mirum spectaculum, quod oculis meis in praesentia-  
rum offertur! Video ante me Venerabilium Patrum splendidissimam  
frequentiam, huc ex universo orbe congregatorum, uno spiritu <sup>(1)</sup>,  
uno affectu, uno desiderio, sicut omnes vocati sumus una spe vocatio-  
nis nostrae <sup>(2)</sup>.

Video delectam aciem militum Jesu Christi Crucifixi, florem et  
ornamentum Sodalitatis nostrae, qui de ea tantopere meruerunt sive  
muneribus optime expletis, sive apostolicis laboribus fructuose exan-  
tatis, sive, idque maxime, virtutum omnium fulgore. Video illustrio-  
rem partem Congregationis nostrae, inclytum coetum, ubi, sine simu-  
latione dico, tot magistros reperio quot auditores adesse conspicio.

« Salvete » vobis dicit dignissimus Praesul, qui tam benigna episto-  
la vos huc advocavit.

« Salvete » hi dicunt, qui a Divina Providentia illi adiutores dati  
sunt.

« Salvete » subdunt, gestienti gaudio, fratres universi huius piissi-  
mae Communitatis.

« Salvete » non tanquam advenae et peregrini, sed quasi filii fa-  
milias in domo Patris et domo vestra.

Quo vero consilio huc accessistis, auspiciatissimi Patres? Num vos  
attraxit splendor Apostolicae Sedis, quae hisce praesertim temporibus  
tantam credentium multitudinem, a finibus terrae, ad hanc lectissimam  
Urbem, epitome totius orbis <sup>(3)</sup>, perducit?

Num desiderium patefaciendi gratum animum vestrum Summo Re-  
ligionis Antistiti, qui nuper marconianas adhibens undas benignissime  
vocem suam ad aures vestras invexit, vos dulciter alloquens « filios prae-  
dilectionis suae », qui « Ecclesiam Dei virgineo odore fragrantem fa-  
citis »?

Num studium invisendi sacras exuvias Divi Patris Legiferi, quem  
tam ardenti animo prosequimini?

(\*) Editur ex voto Ven. Capituli.

Haec omnia, procul dubio, a mente vestra aliena non fuere; finis tamen praecipuus qui huc vos congregavit, pietas est erga Matrem vestram, Sodalitatem a Passione, quae tanquam filiolos vos iterum parturit in Christo (4).

Mirandum spectaculum, quod universam Congregationem per orbem diffusam menti subicit, et in os meum inspirati laudatoris Israël verba ponit: Quam pulchra tabernacula tua... et tentoria tua, castra Passionis (5)!

Spectaculum iucundum, quod in memoriam redigit Concilium illud Hierosolymitanum, ubi Paulus et Barnabas, a Provinciis redeuntes quas Christo adiunxerant, « faciebant gaudium magnum omnibus fratribus... annuntiantes quanta Deus fecisset cum illis » (6).

Jam ter triciesque hi conventus celebrati sunt, in quorum sex prioribus Patris ac tenerrimi Ducis profusa caritas maioribus nostris praeluxit.

Unusquisque ex illis quandam stationem Sodalitati nostrae in suo arduo ac nobili itinere signat ut, veluti in foecunda quiete, vires colligat, charismata meliora aemuletur, viam adhuc excellentiorem arripiat (7), aliisque assumptis viris, novo ardore, nova bella indicat ad evertendas diaboli potestates.

Haec omnia obiectum sunt Comitiorum quae jam auspicati sumus; quod quidem, ut sermonem cohibeam, paucis verbis indicari potest: vestrum esse et ea providere quae ad regularem observantiam pertinent, et Superiores eligere, qui proximo sexennio universae Congregationi praesint.

Ad haec gravia munia rite adimplenda, Vos, lectissimi Patres, qui prae ceteris Fratribus et Sodalitatem diligitis et eius incrementum exoptatis, « non necesse habetis ut aliquis doceat vos » (8), verumtamen solemne est ut aliqua fraterna allocutione urgeamini; quod pensum super novissimum Fratrum vestrorum cecidit, super eum nempe qui felici sorti sibi adscriberet monita vestra reverenter audire.

Grave onus mihi imponitur, verbis dicam Divi Bernardi, ut doceam doctores et instruam pastores, praesertim cum scriptum sit: « Interroga patrem tuum et annuntiabit tibi; maiores tuos et dicent tibi » (9). Absit vero a me ut commonere vos audeam; verba proferam quasi effundens in cor vestrum affectus cordis mei.

Gaudeo et maximo honori tribuo hic loqui apud tuas exuvias, dulcissime Pater, cuius spiritus hoc sacro loco diffunditur, et dum Te rogo ut verba mea dirigere et corda Fratrum meorum ad ea recipienda praeparare digneris, illi qui in Generali Praepositura Te postremo tam lau-

dabiliter exceptit quique hodie sacra infula, maxima totius Sodalitatis laetitia, decoratur, orationem meam, submitto ac humili obsequio dico: Excellentissime Domine ac Reverendissime Pater, habes obedientiam; da benedictionem!

\* \* \*

1. — Lugubri nota in annalibus Sodalitatis nostrae signandus est dies, quo Beatissimus Pater et Conditor noster animam exhalavit. Bono certamine certato, cursu consummato, fide servata <sup>(10)</sup>, Athleta Christi opimis meritis onustus, velut stella ad occasum vergens, felicissimo transitu e vivis sublatus est et ad immarcescibilem gloriae coronam evolavit.

Quo statu Pastor ille bonus pusillum gregem reliquit, quem tam diurne, ac tanta sollertia ad uberrima duxerat pascua sanctitatis?

Testimonium habemus omni exceptione maius, quod ingenti gaudio sobolem Divi Uvadensis replere debet. Superna luce circumfusa, cuius radia splendorem solis longe superabant, Augustissima coeli Regina, Divinum sustinens Infantem, super emicantem thronum assidens, spectandam se praebuit devotissimo Famulo suo Paulo a Cruce. Ut tranquillum redderet piissimum senem, qui anxius semper erat ne officio suo defuisset, Deipara Virgo: « Securus esto, ait illi; Congregatio enim optime se gerit; ipsa valde dilatabitur, et opera eius pergrata sunt Deo » <sup>(11)</sup>.

Nonne talia verba, ex talibus prodita labiis, corda nostra spiritali jucunditate perfundere debent?

2. — Verum licebitne affirmare tam magnificam laudem Sodalitati nostrae hodieque plene convenire? Si Divus noster Paulus e coelo descenderet ad visitandam vineam quam plantavit dextera sua <sup>(12)</sup>, inveniretne eam qualem tradidit heredi suo? Fulgetne ipsa semper nativo splendore?

Naturalem omnium rerum cursum si perpendimus, gestiendi causas nobis esse non inficior; quandoquidem Regulae nostrae, saltem quoad substantiam, integrae permansere, ac recens editae, praeter mutationes ab ecclesiastica Auctoritate impositas, aliasque minimas a legitima consuetudine inductas, illis consonant quas Dux et Legifer noster divino afflatu conscriptas, sub exitu vitae suae definitive proposuit servandas.

Sacrae expeditiones et alia ministeria a Nostris peracta, hisce etiam temporibus, in magno honore habentur et copiosa animarum messe replent horrea coelestia. Tum Episcopi, tum Pontifices summi, tum viri in christiana republica praestantiores, humillimam societatem nostram

laudibus cumulare non desinunt, ita ut ad digne ambulandum vocatione qua vocati sumus <sup>(13)</sup> maximopere incitemur.

Meminisse sufficiat praeclarissimum testimonium Benedicti XV, qui Congregationem nostram tanta prosecutus est benevolentia, in sua Epistola *Optimo sane consilio* ad Rev.mum P. Sylvium a S. Bernardo, Praepositum Generalem, anno ducentesimo pleno a Sodalitate condita. Postquam enim recensuit ac laudavit opera ab ipsa patrata duobus superioribus saeculis, haec addidit: « Idipsum est argumento vigere etiamnum apud vos *spiritum bonum* a Legifero Patre vobis traditum, quod nos equidem valde gratulamur » <sup>(14)</sup>.

Gratias igitur Deo qui dedit nobis victoriam per Jesum Christum Dominum nostrum <sup>(15)</sup>. Laudes illi qui in tot periculis, insidiis, irruentibus vitiis, naviculam Pauli, quasi inter procellas maris, voluit incolumem tutamque servare.

Utique, Venerabiles Patres et Fratres in Christo dilectissimi, dulce est agnoscere apud nos florere *spiritum bonum* a Sancto Conditorum traditum; attamen aurum illud purissimum haudquaquam obscuratum est? <sup>(16)</sup>. Minime mutatus est color ille optimus? <sup>(17)</sup>.

Recogitans primordia Congregationis nostrae et primum illud Sodalium nostrorum agmen, qui sub tanto Magistro in palaestra poenitentiae ad bravium perfectionis tam alacriter currebant, spiritus meus altissima admiratione repletur.

O vere auream aetatem, quae tam fulgidis sideribus collustrata fuit! O vere beatam Sodalitatem nostram, quae talem prolem enutrivit! O nos ter quaterve felices, qui vere « filii Sanctorum sumus »! <sup>(18)</sup>.

3. — Sed quanto distamus ab illis Sanctis et amicis Dei! « Quid est vita nostra, si illis fuerit comparata? » <sup>(19)</sup>.

Angimur certe cum haec reputamus, sed causa non est cur nimium admiremur. Ipsi animi, aequae ac pondera, legi, ut ita dicam, gravitatis obediunt, et quasi natura sua ad ima semper contendunt. Nonne fluminis aquae, dum agros irrigando foecundant, salubritatem amittunt, et nitorem, et lene frigus haustum e fonte?

Haec omnia inspicimus in historia cunctarum religiosarum Sodalitatum, quae post meridiem prosperitatis et fervoris, plus minusve ad occasum vergunt teporis et ignaviae.

Congregatio nostra durae huic legi minus aliis, Deo favente, subiacuit, sed eam penitus exemptam fuisse dicere non auserim.

Quis enim vestrum ignorat quantum apud nos primitus amor et cultus voluntariae paupertatis vigerit? Paupertas, haec pulcherrima

sponsa Christi, haec mater gloriosa filiorum Dei, assidebat regina in antiquis illis Recessibus, ubi omnis apparatus regio eius splendore fulgebat, ubi rerum angustia pro divitiis habebatur. Sed modo nonne debuit interdum vexillum suum submittere?

Sanctis illis Patribus solitudo erat paradus in terra, erat scala Jacob, erat gymnasium sapientiae et virtutis, erat patria apostolorum; eorum gratia solitudo germinans germinavit, et exultavit laudans et floruit quasi lilium <sup>(21)</sup>. Non tantum valedicebant mundo viri illi gloriosi, parentes nostri in generatione sua <sup>(22)</sup>, sed ei adversabantur, ei cum apostolo Paulo crucifixi erant. Proh dolor! Num uni tantum ex iis qui Paulum a Cruce Patrem et Magistrum sortiti sunt dici potest, verba Christi invertendo: Vos in mundo non estis, sed estis de mundo <sup>(23)</sup>?

Opera vitae contemplativae in deliciis erant venerandis illis Sodalibus, qui ad orationis locum accedebant tanquam ad mensam coelestium dapum, et inde surgebant inebriati caritate Christi, perfectissima quaeque et asperrima magis magisque anhelantes. Verum ignis ille divinus aduritne hodie pectora filiorum omnium Seraphici Pauli, eorum praesertim qui exteriorem activitatem somniantes, Congregationis spiritui penitus dissonam, divinarum rerum contemplationem posthabent?

Amor evangelicae paupertatis et studium vitae solitariae et cum Deo per assiduum orationem coniunctio, tria haec, ut probe nostis, nervi sunt Sodalitatis nostrae, eumque *spiritum* constituunt qui, quasi spiraculum vitae, illius creationi praesedit <sup>(24)</sup>. His nervis vel abruptis vel laxatis, caritas refrigescit, mortificationis opera taedio afficiunt, regularis observantiae vigor deficit, zelus pro animarum salute tepescit, et tandem aliquando contentio altioris perfectionis assequendae defervet et evanescit.

Undenam mutatio haec, quamvis (Deo sint gratiae!) nondum gravis?

4. — Profecto non parum contulerunt, ut semper accidit, defectus quorundam Sodalium mundano spiritui indulgentium, qui pestifero flatu suae vituperabilis vitae purissimum claustrorum aërem corrumpunt, ac sensim sine sensu talem introducunt relaxationem, quae candidiores animas contaminat, inficit, eas etiam quae Religionem ingressae erant desiderio flagrantibus altissimae sanctitatis.

5. — Accretio ipsa Sodalium, nisi me mea fallit opinio, non parum ad relaxationem conferre potuit.

Quis non gaudet videns Congregationem nostram, similem in

suo ortu grano sinapis, nunc arborem magnam effectam, « ita ut volucres coeli veniant et habitent in ramis eius? » (25) Quis non optat ut ea magis magisque extendatur, et ubique terrarum cultum gratamque memoriam et venerationem erga Christi Passionem promoveat? Quis ad hunc finem Dominum messis non rogat? Nil hoc rationi congruentius, nam bonum est diffusivum sui; at non semel illud Isaiae comprobatur: « Multiplicasti gentem, non magnificasti laetitiam » (26).

Oportebitne igitur respuere quos Deus ad nos mittit, ut reapse perficiatur consilium Divi Pauli a Cruce: Pauci et boni? Arcana Dei circa animas nobis nescientibus, hoc sane nefas est; ideo cogimur discrimen subire aliquem admittendi in Congregationem, qui aedificationi minime tribuet.

6. — Numquid dicendum erit Regulas nostras progressu temporis vim amisisse ad perfectionem ducendi? Procul, procul animo talis cogitatio! Regulae nostrae, potiori iure quam aliae permultae, divinum sigillum impressum habent, earumque iussa, etsi non leves corporis afflictationes exigant, omnesque terrenas oblectationes interdiant, ita sapientia, prudentia, moderatione enitent, ita cunctis locis ac temporibus apta se ostendunt, ut quisque dicere possit: Vere digitus Dei est hic!

Quod autem revera etiam nunc virtutem habeant sanctitatis heroes gignendi, videre licet in illo christianae perfectionis flosculo Gabriele a Virgine Perdolente, ex quo tanta causa nascitur Ordini nostro gloriandi. Adscriptio enim Angelici Iuvenis inter coelites Sanctos cum de meliore nota Regulas Congregationis nostrae commendat, tum veluti solemniter praeconio edicit quam efficax iisdem insit sanctitatis vis. Immortalis Pontifex qui eum Sanctorum numero accensuit, in Epistola supra memorata: « Hunc, ait, scimus ad fastigium sanctitatis non alia via quam regularis disciplinae observantia pervenire, ut appareat absolutissimam virtutum scholam in isto, quo utimini, vitae instituto vobis patere ».

Regulae igitur, nedum impares aetati nostrae, omnia continent, quae ad emetiendam celeriter interioris sanctitatis viam utilia videntur. Penes vos est, Venerabiles Patres, in Comitibus eas interpretari et ad examen revocare, ut ipsae Regulae decernunt, sed prae oculis semper habendus Spiritus a quo emanant, mensque Legislatoris a Patre luminum illustrata: vestra proinde quod attinet, nihil novi moris in Sodalitatem induci, nihilque de priorum institutis immutari patiemini.

Ceterum errore ducor, si affirmo hac facultate parcius vobis utendum esse? Societas quae necessitatem habet multiplicandi leges, etiam invita, suam infirmitatem confitetur. Leges, iuxta dicta antiquorum, ut medicamina haberi debent, infirmo, non sano corpori praebenda. Quod autem spectat ad Sodalitatem nostram, si Regulis et Constitutionibus Statuta regularia additis, completum atque copiosum corpus iuris habetur, apte nos dirigens in singulis diei actibus; et hoc sufficere opinor.

\* \* \*

7. — Potius igitur quam novas leges condere, valde interest, Venerabiles Patres, consulere ut eae quae nobis sunt revèra observentur, et abusus eradicentur, et spiritus Congregationis integer custodiatur.

Profecto Regularum mandata, quamvis « si religiosa cura fide-  
lique ac puro corde impleantur tranquillam afferant vitam tempo-  
ralem et pariter aeternam » (27), tamen litera mortua sunt; viam indicant, sed ad eam percurrendam non impellunt.

Superiores, hi sunt Regula vivens, et in eorum manibus totius Sodalitatis sortes positae sunt. Si in Sodalitate aliqua vigor disciplinae in suo robore manet, nonne Superioribus plerumque tribuendum est? Audiamus codicem nostrum: « A capite pendere maxime solet membrorum sanitas » (28), cui effato, antiquorum oraculum optime consonat: A capite foetet piscis.

Idcirco sicut Providentissimus Deus non potest pretiosiori beneficio aliquam Congregationem prosequi, quam bonis Superioribus eam donando, sic severius punire nequit quam ineptis manibus eam committendo. Vae tibi, clamat Ecclesiastes, vae tibi, terra, cuius rex puer est! (29) Isaias autem praenuntians calamitates super Ierusalem adventuras tempore messianico, non aliam causam adducit nisi imperitiam et desidiam rectorum populi: Pueros principes... (30) Speculatores coecos... canes mutos, non valentes latrare, dormientes et amantes somnia (31).

Optimus sane erat ager patrisfamilias, cuius meminit parabola evangelica; optimum semen, nihilominus habuit zizania; eccur? quia homines ad vigilandum super eum constituti, dormiebant (32). Unde illa Leonis Magni memoranda sententia: Integritas praesidentium salus est subditorum (33).

Quod mire comprobatum videmus in sacro et venerando Carthusianorum Ordine. Is enim, contra atque aliis Sodalitatibus contigit,

novem paene saeculorum decursu, nulla emendatione, seu, ut aiunt, reformatione, indignit; cuius privilegii dignissimi Brunonis Filii, vulgari dicto, triplicem dant causam: « Per tria haec: *si, so, vi*, Charthusia permanet in *vi* ». *Si*, nempe silentio; *so*, nempe solitudine; *vi*, nempe Superiorum vigilantia. Haec autem potissimum locum habet; nam sine ipsa neque silentium, neque solitudo, neque sanctissimae Regulae impedire potuissent quominus ipsa Carthusia ceterorum veterum Ordinum sortem sequeretur <sup>(34)</sup>.

Nonne hoc docuit Magister divinus quando eligere volens ex multitudine discipulorum duodecim, qui Ecclesiam regerent, et quos Apostolos nominavit, etsi, ab aeterno, excelso ministerio eos praedestinasset, solitudinem petiit et integra nocte in oratione Dei permansit? <sup>(35)</sup>

Grande ergo et maximi momenti est opus ad quod undequaque terrarum huc convenistis, Venerabiles Electores. Vestrum est enim eligere Praepositum, qui rebus cunctis Congregationis nostrae praesideat, et quatuor viros, qui ei a Consiliis esse debent, et Curatorem Negotiis Sodalitatis apud sacra Urbis Dicasteria tuendis; uno verbo supremam potestatem statuere in universam Sodalitatem.

Non agitur de profano negotio, neque de qualibet caeremonia, sed de solemnibus Religionis actu, qui proinde plurimis precibus, ac oblatione immaculatae Hostiae, ac adoratione publica augustissimi Sacramenti, ac invocatione Divini Paracliti religiosissime praeparatur.

Hoc temporis momento ad tria millia Divi Pauli assecularum manus suas ad Patrem misericordiarum tollunt et oculos suos ad hunc Recessum, *ad Vos*, Venerabiles Electores, dirigunt in trepida expectatione rerum quas facturi estis ad Congregationis profectum.

8. — Quae autem in Superiorum delectu vobis norma sequenda est?

Neminem fugit maximam adhibendam esse diligentiam in cooptatione supremi Praesidis, qui « caput est totius Congregationis, et omnimoda iurisdictione pollet » <sup>(36)</sup>, idque est causa cur, sacris canonibus ita praecipientibus, electores ad eam procedere nequeant nisi postquam iureiurando promiserint se electuros quem *secundum Deum* eligendum existimaverint <sup>(37)</sup>, quasi dicant: Deus, qui scrutatur renes et corda; Deus, qui non fallitur; Deus, qui me iudicaturus est; Deus, qui ardenti amore erga Sodalitatem meam flagrat; Deus ipse sit testis me iuxta meam conscientiam suffragium ferre, eumque eligere quem digniorem duco.

Attamen non minori diligentia agendum est in electione eorum, qui Praeposito a latere esse debent; nam easdem in his Regulae nos-



trae condiciones requirunt, « quibus potiri debet eligendus Praepositus » (38); propterea ipsis quoque referri debent quae de summi Praesidis dotibus mihi remanent dicenda.

9. — Non insistam Doctoris gentium doctrinae, qui omnem potestatem a Deo esse affirmans, Superiores veluti Dei representantes considerat, ita ut ipsis magis quam ceteris hominibus dirigi valeat exhortatio: Ut ambuletis digne Deo, per omnia placentes (39); sed potius sub oculos vestros ponam verba illa codicis nostri, quibus iubemur Praepositum Generalem loco Christi habere: Habebitur vice Christi (40).

Recte, recte loqueris, dulcissime Pater. Tu, qui Conditoris nomen humillime recusans, Iesum Crucifixum unicum et verum Congregationis Conditorem dicebas, congruentissime Iesum Crucifixum unicum et verum Superiorem agnoscis: Praepositus Generalis habebitur vice Christi.

Audiant filii Crucis et aspicientes in Auctorem fidei et consummatorem Iesum (41), dulci ligno confixum, gestiant et exultent de glorioso vinculo quo Illi adstringuntur! Audiatur qui ad Sodalitatis gubernacula assumenda iam iam accingitur et intellegat sibi, ut vices Christi gerentem, ambulandum esse sicut ille ambulavit (42). Christum inspiciat Ducem ac praeceptorem gentium (43), qui in se boni Pastoris imaginem exprimens, ante oves suas vadit (44), ut illae vestigia sua sequantur (45); Christum, qui in uno complectens Evangelii sui praecepta, Apostolis ait: Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis (46); qui, illuminaturus omnem hominem venientem in hunc mundum, coepit facere et docere (47).

10. — Propterea iure meritoque Regulae nostrae a Supremo Moderatore exigunt ut praebeat exemplo (48). Praeire autem debet in verbo, in conversatione, in caritate (49). Praeire debet in observantia disciplinae religiosae, et super omnia in studio orationis; nam qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? (50) Si Praeses factus fuerit forma gregis ex animo (51), verba illius non solum movebunt, sed trahent, et nemo illi obiicere poterit: Medice, cura teipsum (52); immodignoscetur in eo quantum insit veritatis in celebri axiomate humanae experientiae: Regis ad exemplum totus componitur orbis; quod iam ab Ecclesiastico dictum fuerat illis verbis: « Qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea » (53).

Virum igitur super candelabrum ponite, qui claritate vitae luceat omnibus qui in domo sunt, ita ut omnes filii Divi Pauli a Cruce videant opera eius bona et glorificent Patrem qui in coelis est.

11. — Omittere tamen nequeo duas alias dotes, quas Regulae nostrae exigunt, dum postulant ut Praepositus *prudenter sancteque* gerere possit <sup>(54)</sup>.

Prudentia sane, quam Spiritus Paraclitus scientiam sanctorum vocat <sup>(55)</sup>, virtus est cuilibet Superiori maxime necessaria. Quid enim refert illum astrorum cursum pernoscere, vel de philosophia et theologia subtiliter disputare, vel mira eloquentia auditores rapere, si gubernaculum fluitet in manibus eius? si navem non ad portum, sed contra scopulos ducat?

Prudentia illum docebit animas, praesertim Deo dicatas, moderari magis amore quam metu, hamo mansuetudinis quam virga severitatis, ostensione spiritus et virtutis <sup>(56)</sup> quam imperio auctoritatis, persuasione intellectus quam coactione voluntatis.

Prudentia, illum sibi diffidentem reddens, cum praestabit ut sine consilio nihil faciat <sup>(57)</sup>, tum impediet quominus omni vento moveatur et omni spiritui credat <sup>(58)</sup>. Prudentia non sinet illum se extollere, sed admonebit ut in fratribus sit quasi unus ex illis <sup>(59)</sup>, exemplo Divini Magistri, qui venit non ministrari, sed ministrare <sup>(60)</sup>, et qui Apostolis praeceptum tradidit: « Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus » <sup>(61)</sup>.

12. — *Qui voluerit!* Permittite mihi, Ven. Patres, brevi digressionem sermonem abrumpere. Num *qui voluerit* primus esse, vere primatu dignus adiudicandus erit? Sperandum est Deum benedicturum esse ministerium illius qui, insipienti animo, praelationes cupiat et quaerat? Qui obviam illis laetus currat, honores, non onera aspiciens, cathedram, non crucem, imperii voluptatem, non debitum servitutis? Qui magis munera optet, quam a muneribus optetur, suaeque potius quam subditorum felicitatem quaerat? <sup>(62)</sup>

Vir prudens compertum habet munera, nisi quis perfunctorie agere velit, iugem sollicitudinem exigere, oblivionem sui ipsius, ut pro salute aliorum se voveat is, cui committitur non tam praeesse quam prodesse.

Memor iudicii durissimi his qui praesunt adfuturi <sup>(63)</sup>, optime novit se, praelationem suscipiendo, non facilem laborem assumere, imo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris <sup>(64)</sup>, ita ut cum Apostolo nullam habeat requiem <sup>(65)</sup>, et cum ipso Christo signum fiat cui contradicatur <sup>(66)</sup>. Nam in praelatione sine tribulatione esse quis potest? ait Divus Bernardus <sup>(67)</sup>.

Confiditne quis se posse omnibus satisfacere? Eventus quancumque auferet errorem. Quis est enim, quem nulla umquam mordet

censura? Ille profecto qui, nihil agens, nullum censurae praebet argumentum. Verum: estne viri prudentis hanc laudem captare? Si sapientissimus mundi Moderator non omnibus satisfacere valet; si Iesus Christus, mundi Magister, innumeros adversarios habuit; si Sancti, praestantissimis virtutibus ornati, hominum persecutiones saepissime passi sunt, quinam Superior meliorem sortem sperare poterit? Verumtamen de hoc minime conquerendum est, cum optimum sit indicium ministerium gratum esse Deo, Apostolo dicente: Si hominibus placerem, Christi servus non essem <sup>(68)</sup>.

13. — Ut vero abruptum resumam sermonem, aliam dotem in Supremo Moderatore a Regulis nostris requisitam meminisse iuvat, nempe sanctitatem: « Ut sancte gerere possit ». Haec sola non sufficit ut aliquis perfectus Superior existat, at prudentiae innixa efficit ut Superior lucerna sit ardens et lucens <sup>(69)</sup>; nam si luceat tantum, vanum est; si tantum ardeat, parum; si luceat et ardeat, hoc perfectum est <sup>(70)</sup>.

Sanctitas, cum Superiorem venerabilem reddat, mandatis eius auctoritatem auget et quandam circum eum supernam fascinationem diffundit, ut subditis facilior suaviorque obedientia evadat. Ipsa denique Superiorem Deo strictissime coniungit, ita ut de eo, sicuti de veteri Ioseph, dici valeat: « Erat... in cunctis prospere agens, quia Deus erat cum eo » <sup>(71)</sup>.

14. — Et nunc verba recolite gloriosissimi Pii Papae XI, qui Petri Sedem tanta virtute et sapientia hodieque illustrat. Loquens ipse de formatione viri religiosi, hanc profert paternam admonitionem: « Primum omnium religiosos viros cohortamur, ut suum quisque Conditorum Patremque legiferum in exemplum intueantur, si velint gratiarum, quae e sua ipsorum vocatione proficiunt, certo esse copioseque participes » <sup>(72)</sup>.

Quam exhortationem si tenerrimo Patri nostro referamus, jure optimo asserendum erit ipsum exemplar fuisse omnium religiosorum virtutum; exemplar praesertim Superioribus, cum Sodalitatem nostram tot annis sic administraverit, ut ab ore Beatissimae Virginis insignem illam laudem meruerit, quam dudum audivimus.

15. — Suspicio tamen aliquem vestrum ob sermonem meum animo concidere et anxie quaerere: Ubinam inveniemus viros tot tantisque virtutibus praeditos? Superiores qui Paulo a Cruce comparari possint, rarissime oriuntur in terris et (absit ut quemlibet ex vobis injuria afficiam) hic et nunc vix invenire fas est. Quid ergo nobis restat?

Restat, Ven. Patres, ut agamus quod melius fieri potest, ac, non invenientes viros undequaque perfectos, illos eligamus qui minoribus laborant defectibus; etsi non dignissimos et aptissimos, saltem digniores et aptiores. Quod si interrogati fuerimus: « Scis illos dignos esse? » cum sacra liturgia respondebimus: « Quantum potest humana fragilitas!... ».

16. — Optatissimi Patres, Sodalitas nostra, veluti benignissima Mater, vos hortatur: « Electores summa ope niti debent ut, posthabita humana ratione, digniorem et aptiorem eligant » (73).

Pensate verba: « summa ope ». Mediocris ergo non sufficit, non sufficit magna, requiritur summa; ex hoc enim negotio bonum pendet totius Congregationis, nec solum temporarium fluxumque, sed diuturnum. Siquidem iussa Superiorum semitam sive bonam sive malam persaepe describunt, a qua postea recedere difficillimum est.

Quae verba, alia mihi ad mentem revocant, Principis nempe Apostolorum qui, multitudinem fidelium alloquens de diaconorum electione, dixit: « Considerate.... viros boni testimonii... plenos Spiritu Sancto et sapientia » (74). Delectus ergo noster non inconsulto, sed maxima consideratione fieri debet, necnon coram Iudice illo, qui tempestive de eo rationem postulabit, ac si ab unoquoque nostrum delectus ipse dependeat; namque si interdum suffragium unum, nullum, interdum suffragium unum, totum.

Nec minoris est momenti Regularum cohortatio « posthabendi omnem humanam rationem », cui respondent Ezechielis minae: « Vae prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum » (75). Quam facile enim amor sui ipsius velamen oculis ponit in his etiam rebus, a quibus omnino extraneus esse deberet! Quapropter numquam privatae spes anteferendae sunt bono communi, amicitia virtuti, favor officio; numquam sequenda est sapientia carnis, quae inimica est Deo (76), neque sapientia huius mundi, quae stultitia est (77), sed sapientia desursum, quae, juxta Jacobum Apostolum, pudica est... pacifica, modesta, suadibilis, non judicans, sine simulatione (78).

Quoniam vero omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum (79), ideo ut, divina freti gratia, quidquid gerendum nobis est feliciter, communi studio atque consilio, aggrediamur; expedit sane in primis ut os Domini interrogemus (80), et divinam in consiliis inhabitantem sapientiam suppliciter imploremus (81). Homines enim vident ea quae parent et decipi possunt, sed Deus, qui intuetur cor (82) et cui omnia nuda et aperta sunt (83), in errorem nunquam labi potest. Nec illam imitemur ma-

trem filiorum Zebedaei quae Dominum adprecabatur non ut voluntas eius fieret, sed ut consilia sua perficerentur; verum pristinos illos discipulos imitemur qui, in cenaculo congregati, ut eum eligerent qui proditoris locum acciperet, sic orantes dicebant: « Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris » (84).

Quum iudicium de vultu Domini prodierit (85), nosque instrumenta in manu eius fuerimus, electus is erit, quem Deus in thesauris suae misericordiae nobis reservavit ad incrementum et fulgorem Sodalitatis nostrae.

Quo autem voti compotes facilius esse possimus, antiquius nobis ait, Ven. Patres, idem sapere et unanimes idipsum sentire (86), super omnia autem caritatem habere quae est vinculum perfectionis (87).

17. — Tandem sermonem ad vos omnes convertens, Fratres dilectissimi, qui mecum a salutifera Christi Passione et nomen et decus sumitis, verba a sanctis Regulis mutuando, humiliter obsecro ut per demissas preces lumen a Deo poscatis (88).

Sit nobis ad thronum gratiae mediatrix Immaculata Virgo Maria, Regina Congregationis nostrae; sint precatores beati Coelites, quos Congregatio nostra Patronos adhibet, ac praesertim Divus hic Paulus a Cruce, institutor vineae nostrae, dux itineris nostri, columna et decus nostrum, ut multiplicatis intercessoribus Deus patientiae et solatii facilius quod optatur indulgeat, et de sede majestatis suae mittat electoribus spiritum rectum, et aptet nos in omni bono, ut faciamus eius voluntatem, faciens in nobis, ut ait Apostolus, quod placet coram se, per Iesum Christum, cui est gloria in saecula saeculorum. Amen. (89).

(1) EPH. IV, 4.

(2) *Ib.*

(3) CORNELIUS A LAPIDE.

(4) GAL. IV, 19.

(5) NUM. XXIV, 5.

(6) ACT. XV, 3 sqq.

(7) I COR. XII, 31.

(8) I IOAN. II, 27.

(9) DEUT. XXXII, 7.

(10) II TIM. IV, 8.

(11) *Sum. Proc. Beatif. et Can.*

(12) PS. LXXIX, 16.

(13) EPH. IV, 1.

(14) *Bollettino*, Anno 1920, pag. 129.

(15) I COR. XV, 57.

(16) THREN. IV, 1.

(17) *Ib.*

(18) TOBIA II, 18.

(19) *Imit. Chr.*, I, 18.

(20) *Imit. Chr.*, I, c.

(21) IS. XXXV, 1.

(22) ECCL. XLIV, 1.

(23) IOAN. XV, 19; XVII, 11.

(24) GEN. II, 7.

(25) MAT. XIII, 32.

(26) IS. IX, 3.

(27) *Reg.*, n. 325.

(28) *Reg.*, n. 245.

(29) ECCLE. X, 16.

(30) IS. III, 4.

(31) IS. LVI, 10.

(32) MAT. XIII, 27.

- (33) *Ep. 87 ad Episc. Afric.*  
(34) MANSI, *Bibliotheca*, verb. *Solitududo*.  
(35) LUC. VI, 12.  
(36) *Reg.*, n. 242.  
(37) Can. 506, § 1.  
(38) *Reg.*, n. 252.  
(39) COL. II, 10.  
(40) *Reg.*, n. 251.  
(41) HEBR. XII, 2.  
(42) I IOAN. I, 10.  
(43) IS. LV, 4.  
(44) IOAN. X, 4.  
(45) I PETR. II, 21.  
(46) IOAN. XIII, 5.  
(47) ACT. I, 2.  
(48) *Reg.*, n. 242.  
(49) I TIM. IV, 18.  
(50) ECCLI. XIV, 5.  
(51) I PETR. V, 3.  
(52) LUC. IV, 23.  
(53) ECCLI. X, 2.  
(54) *Reg.*, n. 245.  
(55) PROV. IX, 10.  
(56) I COR. II, 4.  
(57) ECCLI. XXXII, 24.  
(58) I IOAN. IV, 5.  
(59) ECCLI. XXXII, 1.  
(60) MARC. X, 15.  
(61) MAT. XX, 27.  
(62) I COR. X, 24.  
(63) SAP. VI, 6.  
(64) II MACH. II, 27.  
(65) II COR. VII, 5.  
(66) LUC. I, 34.  
(67) *Sermo de Quinque Negot.*  
(68) GAL. I, 10.  
(69) IOAN. V, 35.  
(70) S. BERNARDUS.  
(71) GEN. XXXIX, 2.  
(72) *Bollet.*, 1924, pg. 132.  
(73) *Reg.*, n. 245.  
(74) ACT. VI, 3.  
(75) EZECH. XIII, 3.  
(76) ROM. VIII, 7.  
(77) I COR. III, 19.  
(78) IAC. III, 17.  
(79) *Ib.* I, 17.  
(80) IS. XXX, 2.  
(81) *Atti Cap. Gen.*, 5.  
(82) I REC. XVI, 7.  
(83) HEBR. IV, 13.  
(84) ACT. I, 24.  
(85) PHILIP. II, 2.  
(86) COL. III, 14.  
(87) *Ib.*  
(88) *Reg.*, n. 245.  
(89) HEB. XIII, 21.
-

## EX ACTIS APOSTOLICAE SEDIS

### SACRA POENITENTIARIA APOSTOLICA (*Officium de Indulgentiis*).

#### DECRETUM

#### CIRCA INDULGENTIAS VIAE CRUCIS AB INFIRMIS LUCRANDAS

Devotam Passionis SS.mi D. N. J. C. recordationem per pium, quod vocant, exercitium *Viae Crucis* maximi infirmis esse solaminis, qui spirituali eorum adsistentiae dant operam unanimiter testificantur. Ad excitandos igitur ad tam salutarem praxim eos quoque qui a praefato pio exercitio regulariter peragendo aegritudine impediuntur, SS.mus D. N. Pius PP. XI, instante infrascripto Cardinali Maiore Poenitentiario, in audientia dici 20 currentis mensis, benigne concedere dignatus est ut infirmi qui pium exercitium *Viae Crucis* in forma ordinaria nec in forma statuta a Clemente XIV die 26 Ianuarii 1773, per recitationem scilicet viginti *Pater, Ave et Gloria*, absque gravi incommodo vel difficultate peragere valeant, omnes et singulas indulgentias, eidem pio exercitio quomodocumque adnexas, lucrari possint vel osculando vel etiam tantum intuendo, cum affectu et animo contrito, in aliquem Crucifixum ad hoc benedictum, eis vel a sacerdote vel ab aliqua persona exhibitum, et recitando brevem aliquam orationem vel precem iaculatoriam in memoriam Passionis et mortis Jesu Christi Domini Nostri.

Praesentibus absque Brevis expeditione in perpetuum valituris, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Sacra Poenitentiaria, die 25 Martii 1931.

L. ✠ S.

L. CARD. LAURI, *Poenitentiarius Maior*.

I. TEODORI, *S. P. Secretarius*.

(A. A. S. vol. XXIII, pag. 167).

## DOCUMENTA PONTIFICA CONGREGATIONIS

### S. CONGREGATIO DE RELIGIOSIS.

BENEPLACITUM APOSTOLICUM PRO FUNDATIONE NOVI RECESSUS  
IN LOCO MUSSELBURGH DIOEC. S. ANDRAE. (SCOZIA).

N. 2602/31.

*Beatissime Pater,*

Sebastianus ab Immaculata Conceptione, Provincialis Provinciae a S. Patritio, Congregationis a Passione D. N. J. C., humillime petit a Sanctitate Vestra canonicam domus erectionem in loco Musselburgh dioecesis S. Andrae, cum omnia habeantur quae pro huiusmodi erectione requiruntur.

Et Deus etc.....

BENIGNA CONCESSIO.

Vigore facultatum a SS.mo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, audito voto Rev.mi Procuratoris Generalis, Rev.mo Praeposito Generali benigne facultatem tribuit deveniendi ad canonicam erectionem enunciatae domus cum omnibus privilegiis et gratiis spiritualibus, quibus legitime aliae domus praefatae Congregationis fruuntur et gaudent, dummodo tamen in ea omnia habeantur, quae de iure requiruntur ad formam Sacrorum Canonum et Apostolicarum Constitutionum.

Datum Romae, die 11 Maii 1931.

VINCENTIUS LA PUMA, *Secretarius.*

HENRICUS ACOSTINI

*Adiutor a Studiis.*

CONCESSIONIS EXECUTIO.

J. X. P.

Constito nobis in casu omnia haberi quae de iure requiruntur ad normam Sacrorum Canonum, virtute potestatis nobis commissae, praesenti executoriali decreto canonicam erectionem de qua in precibus decernimus, servatis servandis, iuxta tenorem Rescripti.

Romae, die 27 maii 1931.

TITUS A IESU, *Praep. Generalis.*



## SACRA POENITENTIARIA APOSTOLICA

(*Officium de Indulgentiis*).

ORATORIUM B. M. VIRGINIS IMMACULATAE ADNEXUM ECCLESIAE  
RECESSUS S. PAULI A CRUCE IN « DUBLINO » INDULGENTIIS  
DITATUR.

*Beatissime Pater,*

Rector publici oratorii tit. B. M. Virginis Immaculatae ad-  
nexi ecclesiae Recessus S. Pauli a Cruce in « Dublino », Con-  
gregationis Clericorum SS. Crucis et Passionis D. N. J. C., ad  
pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter petit plenariam  
Indulgentiam, ab omnibus christifidelibus confessis ac sacra Sy-  
naxi refectis lucrandam diebus festis Immaculatae Conceptionis,  
Nativitatis, Praesentationis, Annuntiationis, Visitationis, Puri-  
ficationis et Assumptionis B. M. Virginis necnon die festo Ap-  
paritionis B. M. V. Lapurdensis, si praefatum oratorium visi-  
taverint et ad mentem Summi Pontificis preces fuderint. Petit  
insuper Indulgentiam partialem quingentorum dierum, a chri-  
stifidelibus saltem corde contrito acquirendam, si ter « Ave Ma-  
ria » ibidem recitaverint. Et Deus, etc.

DIE 6 FEBRUARII 1931.

*Sacra Poenitentiaria Apostolica* benigne annuit pro gratia  
iuxta preces ad septennium. Contrariis quibuscumque non ob-  
stantibus.

L. ✠ S.

S. LUZIO, S. P. R.  
S. DE ANGELIS, *Substit.*

---

## ACTA CURIAE GENERALIS

---

### MONITUM

In *Ordine divini Officii recitandi Sacrique peragendi* hoc  
anno festum B. Vincentii M. Strambi, die 25 Septembris, du-  
plici cruce signatur, festum autem Sacratissimi Rosarii, die 7  
Octobris, unica cruce: utrumque corrigi debet, quia in novis-  
simo indice festorum Congregationis nostrae primum ut festum  
tertii generis seu de Regula, alterum autem non amplius recen-  
setur.

## CHRONICA CONGREGATIONIS NOSTRAE

### I.

#### ROMAE IN RECESSU SS. IOANNIS ET PAULI.

##### CONSECRATIO EPISCOPALIS REV.MI P. PRAEPOSITI GENERALIS ET FESTUM S. PAULI A CRUCE.

Die 26 Aprilis Rev.mus Praepositus noster P. LEO A S. CORDE IESU (Dom. LEO PETRUS KIERKELS) Episcopus consecratus est ab Em.mo Cardinali *Gulielmo van Rossum*, Praefecto Congregationis de Propaganda Fide, adistentibus Exc.mis DD. *Petro Pisani*, Archiepiscopo Constantiae in Scythia, et *Ioanne Baptista Peruzzo C. P.*, Episcopo Oppidi Mamertini.

Sacer ritus peractus est in Sacello S. Patris nostri Legiferi, pulchre exornato, dum adstaret lectissima multitudo. Notati sunt inter alios Perillustris Dom. *Ogilvie Forbes* Legatus Angliae apud S. Sedem, Patres Congregationis nostrae ad Capitulum generale XXXIII convocati, Rev.mus Abbas *Nootz*, Rev.mus Dom. *Caiazza* subsecretarius Sacrae Congregationis de Religiosis, multi officiales Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, omnes alumni Indici Pontificii Collegii Urbani, necnon delecti Patres ex Ordine Praedicatorum, e Societate Iesu, ex Ordine S. Augustini, Cappuccinorum aliarumque religiosarum Sodalitatum pluresque Sorores praesertim Missionariae.

In festo autem S. Patris Legiferi, consueta solemnitate celebrato, ipse Exc.mus Archiepiscopus noster in primis Vesperis et Missa pontificalia egit.

##### PROFESSIONES PERPETUAE

Die 27 Maii nuper elapsi ad altare S. Patris Nostri Legiferi vota perpetua nuncuparunt, in manibus R. P. *Eduardi a Spiritu Sancto* ad id delegati, *Confr. Ignatius a SS. Sacramento* e Prov. SS. Cordis Iesu et *Confr. Eatychius a SS. Sacramento* e Prov. Praesentationis B. M. V.

II.

PROVINCIAE CONGREGATIONIS NOSTRAE.

PROVINCIA PRAESENTATIONIS B. M. V.

*Capitulum Provinciale.* — Habitum est a die 25 ad diem 30 Maii in Recessu SS. Salvatoris ad Scalam Sanctam, eique praefuit Rev. mus P. Titus a Iesu, Praep. Generalis. Electi autem fuerunt:

in Praep. Provinciae: P. ALFREDUS a S. IOSEPH;

in 1. um Consultorem: P. Maurus a Maria Immaculata;

in 2. um Consultorem: P. Alexius a S. Paulo a Cruce;

in Rectorem Recessus SS. Salvatoris: P. Gerardus a SS. Redemptore;

in Rectorem Recessus Praesentationis in Monte Argentario: P. Antonius a SS. Salvatore;

in Rectorem Recessus S. Michaëlis Arch. (Vetralla): P. Stanislaus a N. D. S. Cordis;

in Rectorem Recessus S. Eutychie Mart. (Soriano): P. Innocentius a S. Petro;

in Rectorem Recessus S. Ioseph in Monte Argentario: P. Isidorus a S. Paulo a Cruce;

in Rectorem Recessus S. Michaëlis Arch. (Vinchiana): P. Paulinus a Maria Immaculata;

in Rectorem Recessus S. Pauli a Cruce (Tavarnuzze): P. Athanasius a Iesu et Maria, post cuius renuntiationem: P. Gratilianus a S. Ioseph;

in Magistrum Novitiorum: P. Simon a Maria Immaculata.

*Ordinationes sacrae.* — Romae, sacrum Presbyteratus ordinem susceperunt, die 28 Februarii 1931: P. Aloisius a Virgine Perdolente, P. Nazarenus a Virgine Perdolente, P. Pacificus a Quinque Vulneribus; die 4 Aprilis 1931: P. Dominicus a S. Familia, omnes e Recessu SS. Salvatoris.

PROVINCIA B. M. V. DOLOROSAE.

*Professio perpetua.* — In Recessu S. Sosii Martyris, vota perpetua emisit, die 26 Decembris 1930, Confrater Fulgentius a Iesu Infante.

PROVINCIA PURISSIMI CORDIS B. M. V.

*Ordinationes sacrae.* — In Recessu S. Pancratii Martyris, die 12 Aprilis 1931, sacro Presbyteratus ordine insigniti sunt ab Exc.mo Domino Joanne Baptista Peruzzo, Episcopo Oppidi Mamertini, ex Nostra Sodalitate, Patres: *Dismas a Virgine Dolorosa*, et *Alfridus a B. V. Rosarii*.

*Professio perpetua.* — In eodem Recessu S. Pancratii M., vota perpetua emisit, die 12 Martii 1931, *Confrater Gulielmus a B. Vincentio M. Strambi*.

PROVINCIA S. FAMILIAE.

*Electio canonica 2 Consultoris Provincialis.* — Cum *Adm. R. P. Innocentius a Patrocino S. Ioseph*, I Consultor huius Provinciae, in Generalibus Comitiis nuper habitis, renuntiatus fuerit II Consultor Generalis, Curia Provincialis, iuxta statuta a Regulis nostris, una cum eodem *Adm. R. P. Innocentio a Patrocino S. Ioseph*, Praepositi Generalis delegato, ad munus II Consultoris Provincialis elegit *Adm. R. P. Thomam a S. Corde Jesu*, novitiorum Magistrum, die 23 Maii 1931.

---

## MISSIONES

EPISTOLA GRATULATORIA S. CONGR. DE PROPAG. FIDE AD REV. MUM P. CUTHBERTUM C. P. PRAEFECTUM APOSTOL. IN SINIS.

SACRA CONGREGAZIONE  
DE PROPAGANDA FIDE

Prot<sup>o</sup>. Num. 4582/30

Romae, 8 Aprilis 1931.

*Reverendissime Pater,*

Annua relatione a Te recepta, gratias de ea Tibi reddo, gratulationes huius Sacrae Congregationis pro fructibus spiritualibus susceptis adiungens.

Revera doleo ex animo pro tribus missionalibus a latronibus caesis, at non parva spes est sanguinem eorum semen novorum christianorum futurum esse.

Deum interim, Beatissima Virgine Sinarum Regina intercedente, supplicare non desino ut, pace Sinensi reipublicae reddita, liceat Vobis confertos animarum manipulos in horrea dominica congregare.

Tu ergo cum tuis sollertibus cooperatorem et religiosis feminis perge audacter adlaborare, coronam pretiosissimam a Domino in futurum consecuturus.

Occasionem libenter nanciscor me profitendi

Reverentiae Tuae

addictissimum in Domino  
pro E.mo Praef.

† CAROLUS SALOTTI, Arch. tit. Phil.  
Secretarius.

Pro Excell.mo D. Secr.  
CAESAR PECORARI.

Rev.mo Patri CUTHBERTO O' GARA  
Praefecto Apostolico de Shenchow.

---

## Archisodalitatis a Passione novae erectiones.

Diplomate diei 15 Martii 1931, Sodalitas nostra erecta fuit in ecclesia S. Gabrielis a Virg. Perdolente, loci S. *Zenone degli Ezzelini*, dioecesis Tarvisin. (Italia).

Item, diplomate diei 17 Martii 1931, in ecclesia SS. Cosmae et Damiani, loci S. *Damiano d'Asti*, dioecesis Asten. (Italia).

Item, diplomate diei 21 Martii 1931, in ecclesia S. Juliani, loci *Gozzano*, dioecesis Novarien. (Italia).

Item, diplomate diei 6 Aprilis 1931, in ecclesia SS. Naboris et Felicis, loci *Stradella*, dioecesis Derthonen. (Italia).

---

### Benefactores cooptati :

In albo Benefactorum Congregationis nostrae, patentibus Litteris R.mi P. Praepositi Generalis, recensiti sunt:

Die 3 Iunii 1931, precibus exhibitis ab Adm. R. P. Alexandro a S. Lucia, Praep. Prov. S. Familiae, dominus *Franciscus Penichet*, et domina *Flora Rijau de Pella*, loci *Habana* (Cuba).

---

## BIBLIOGRAPHIA

---

P. IRENEO DI S. GIOVANNI EV., *Un grande Passionista: P. Bernardo Maria di Gesù (Silvestrelli), XII Preposito Generale dei Passionisti* (Roma, Tipografia Agostiniana, 1931), pag. 158, cm. 20,5 × 13,5.

Viva semper manet apud nos grata memoria Rev.mi P. Bernardi M. a Iesu, qui Praepositi Generalis triginta fere annos munere fungens, tanta prudentia, fortitudine, vitae sanctitate excelluit, ut merito alter fundator Congregationis nostrae a multis appelletur. Iamvero cum eius exuviae nunc ad Ecclesiam nostri *Recessus* apud *Moricone* e publico loci coemeterio transferri debeant, opportunum visum est, ad eius memoriam pervulgandam, novam hanc biographiam texere quae, etsi non longa, imaginem tamen Servi Dei sub quovis aspectu ob oculos legentium ponit. Duae partes distinguuntur: prima historiam, altera virtutes describit.

Omnibus certe aedificationi maxime est hunc videre sapientem negotiatorem, qui, inventa pretiosa margarita evangelicae perfectionis, dedit omnia sua ut emeret

eam. Et multa quidem dedit, divitias nempe, honores et saeculi voluptates, eligens pauperem, humilem et asperam vitam ducere in Congregatione nostra, ubi ad summam senectutem omni virtutum genere floruit.

Sodalibus autem nostris gratissimum erit conspiciere in bono lumine collocatam esse ab auctore partem peculiarem, quam Divina Providentia huic famulo suo dedit: scilicet conservare et fovere in Congregatione nostra triplicem illum spiritum paupertatis, solitudinis et orationis, quo veluti fundamento Congregatio innitur. Revera totus in eo fuit Servus Dei ut exemplo, scriptis, monitis, et praesertim regimine Sodalibus a Christi Passione perpetuo diceret: Haec est via vestra, ambulate in ea.

P. L. P., *Differenze fondamentali fra il cattolicesimo e il protestantesimo* (Varese, Tipogr. dell'Addolorata), pag. 23, cm. 14,5 × 9,5 (Terza edizione, 20° migliaia).


P. L. P., *I protestanti distruttori della Religione Cristiana* (Varese, Tipogr. dell'Addolorata), pag. 119, cm. 18 × 11,5.

Primum opusculum iam nuntiavimus in praecedenti numero ephemeridis nostrae. Ecce iam tertia editio, optimum sane testimonium publici favoris. Cum tamen Auctor, Adm. Rev. P. Aloisius a S. Carolo, ibi solummodo exposuerit praecipuas differentias inter catholicismum et protestantismum, nunc alterum addit opus in quo, iis praemissis quae in primo opusculo habentur, singulas assertiones probat ac defendit. Lucidus ordo, bonitas doctrinae, rationum firmitas et claritas merito laudantur, ut ipse facit Em. mus Cardinalis Camillus Laurenti in epistola ad Auctorem, initio opusculi posita. Utrumque igitur Sodalibus nostris Italis, Missionariis praesertim, commendatum volumus.

D. A. M., *Brevissima biografia di Gemma Galgani, Vergine Lucchese*, (Postulaz. dei PP. Passionisti, SS. Giov. e Paolo, Roma 47), pag. 64, cm. 14,5 × 9,5 (5<sup>a</sup> ediz. illustrata. Dal 36° al 46° migliaia).

Titulus ipse dicit obiectum et indolem libelli. Auctor, Sac. Arturus Milani, populari modo describit angelicam vitam Virginis Lucensis, opportunisque monitis hic illic insertis lectores hortatur ad eius virtutes imitandas. Plures in fine referuntur gratiae recenter impetratae per eius intercessionem.

---



## DEPOSITO CORPORE AD CHRISTUM MIGRAVERUNT

---

### MONITUM

In exarando nuncio funebri nunquam omittatur: Nomen Congregationis vel Instituti; dies, mensis et annus mortis; nomen loci tam sacrum, quam saeculare; nomen Provinciae; nomen religionis, et saeculi, defuncti vel defunctae; dies, mensis et annus primae professionis.

Nuncium vero, a Rectore domus in qua defunctus morabatur, mittendum est tum ad Secretarium Generalem, tum etiam ad singulos Provinciales, qui tenentur illud transmittere ad omnes Recessus sibi subiectos, necnon ad Moniales et Sorores a Passione, quarum domus intra ambitum cuiusque Provinciae continetur, juxta normas in hac ephemeride alias editas. (*Bollett., an. I, pag. 83*).

12. — *Die 20 Aprilis 1931*, in Recessu S. Mariae (Herne Bay), Prov. S. Joseph, P. ANSELMUS AB IMMACULATA CONCEPTIONE (James Daniel Nolan), qui, natus anno 1871, vota nuncuparat die 5 Decembris 1900.

13. — *Die 1 Iunii 1931*, Romae, in nosocomio, P. GREGORIUS A VIRGINE PERDOLENTE (Antonio Ceccarini). Prov. Praesentationis B. M. V., qui, natus anno 1877, vota nuncuparat die 24 Maii 1901.

14. — *Die 2 Iunii 1931*, Lucae, in nosocomio, FRATER GABRIEL A IESU MORIENTE (Antonio Conigliaro). Prov. Praesent. B. M. V., qui, natus anno 1909, vota nuncuparat die 15 Decembris 1927.

---

*Imprimatur: TITUS A IESU, Praep. Gen.*

---

P. POLISSENO ORLANDI (P. EMIDIO, Passionista) *Direttore responsabile*

---

ROMA — *Tipografia Agostiniana* · Via Giustiniani, 15-17 — ROMA



# Acta Congregationis

a SS. Cruce et Passione D. N. J. C.

---

Jesu Christi Passio sit semper in cordibus nostris

---

## EX ACTIS APOSTOLICAE SEDIS

SACRA CONGREGATIO CONCILII

DECRETUM.

DE HABITU ECCLESIASTICO A CLERICIS DEFERENDO

Prudentissimo sane consilio ab Ecclesia provisum est. ut clerici. in sortem Domini vocati, per decentiam habitus extrinseci, intrinsecam morum honestatem ostendant et a laicis etiam habitu secernantur. Qui quidem habitus, quamquam, pro diversis temporibus et locis, non unam praetulerit formam et colorem, semper tamen proprium quid ac singulare clericali ordini congruum retinuit ac retinet, quo tanquam *habitus ecclesiasticus* seu *clericalis* et nominetur et habeatur.

Disciplina in hac re vigens continetur in canone 136 § 1 Codicis iuris canonici his verbis: « Omnes clerici decentem habitum ecclesiasticum, secundum legitimas locorum consuetudines et Ordinarii loci praescripta, deferant; tonsuram seu coronam clericalem, nisi recepti populorum mores aliter ferant, gestent, et capillorum simplicem cultum adhibeant ».

Porro huic Sacrae Congregationi Concilii exploratum est non omnes clericos, in nonnullis praesertim regionibus, memorati canonis disciplinam servare. Sunt enim qui, propriam dignitatem et honorem clericalem parvi pendentes, contra legitimam consuetudinem et Ordinarii loci praescripta, vestes etiam publice, tum forma tum colore, prorsus laicales deferant, nec ipsam

tonsuram clericalem gestent. Ex quo facile sequitur, ut populus christianus erga coetum clericalem debitum obsequium minuat et clerici ipsi sese periculo exponant non solum agendi ea quae a statu clericali sunt aliena et indecora; sed etiam, quod Deus avertat, e suo statu omnino deficiendi. Nec desunt sacerdotes, qui habitu, quem supra diximus, utuntur etiam in ecclesia in sacris peragendis, in sede confessionali, in Missa celebranda, in Ss.ma Eucharistia distribuenda.

Iamvero ad omnes abusus in hac re removendos et ad disciplinam ecclesiasticam firmandam atque urgendam, haec Sacra Congregatio Concilii praesenti decreto mandat, ut omnes clerici, praeter clericalem tonsuram, decentem habitum ecclesiasticum publice semper, non excepto tempore aestivarum vacationum, deferant, habitum scilicet, quem legitima consuetudo et Ordinarii loci praescriptum in propria regione ordini clericali congruentem agnoverint.

Insuper eadem Sacra Congregatio sacerdotes graviter monet ut religiosissime servent etiam praescriptum canonis 811 § 1: « Sacerdos, Missam celebraturus, deferat vestem convenientem quae ad talos pertingat »: qua quidem veste curandum est ut sacerdotes utantur etiam in Sacramentis publice ministrandis. Parochi et rectores ecclesiarum in sua quisque ecclesia ad celebrandum Missae sacrificium sacerdotes ne admittant nisi sint, iuxta praescriptum canonis 804 § 2, ecclesiastica veste induti, veste nempe de qua in canone 811 § 1.

Ut vero praesens decretum ab omnibus, ad quos spectat, adamussim servetur, eadem Sacra Congregatio peculiarem Ordinariorum locorum diligentiam atque vigilantiam excitat, qui, si casus ferat, in renitentes animadvertant ad normam canonum 136 § 3, 188 n. 7, 2379 Codicis iuris canonici.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 28 Iulii anno 1931.

L. ✠ S.

I. CARD. SERAFINI, *Prefectus*.

I. BRUNO, *Secretarius*.

PONTIFICIA COMMISSIO  
AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authenticice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. — DE ULTIMIS SACRAMENTIS MINISTRANDIS

D. An canon 514 § 1 ita intelligendus sit ut in religione clericali Superioribus ius et officium sit omnibus, de quibus in eodem canone, extra religiosam domum aegrotis Eucharisticum viaticum et Extremam unctionem ministrandi.

R. *Affirmative*, si agatur de religiosis professis vel novitiis, firmo tamen praescripto canonis 848; secus *negative*.

II. — DE AETATE CONFIRMANDORUM

D. An canon 788 ita intelligendus sit ut Sacramentum confirmationis in Ecclesia latina ante septimum circiter aetatis annum conferri non possit nisi in casibus, de quibus in eodem canone.

R. *Affirmative*.

III. — DE CAUSIS MATRIMONIALIBUS

D. An vi canonis 1989 eadem causa matrimonialis, ab uno tribunali iudicata, ab alio tribunali eiusdem gradus iterum iudicari possit.

R. *Negative*.

IV. — DE DECLARATIONE NULLITATIS MATRIMONII

D. I. Utrum *par certitudo*, de qua in canone 1990, haberi possit tantum ex certo et authentico documento, an etiam ex alio legitimo modo,

II. Utrum *citatio partium*, de qua in canone 1990, facienda sit ante declarationem nullitatis matrimonii.

R. Ad I. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

Ad II. *Affirmative*.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 16 mensis Iunii anno 1931.

L. ✠ S.

P. CARD. GASPARRI, *Praeses*.

I. BRUNO, *Secretarius*.

(A. A. S., vol. XXIII, pag. 353).

## DOCUMENTA PONTIFICIA CONGREGATIONIS

### SACRA CONGREGATIO CONCILII.

FACULTAS LARGITUR PEREGRINANTIBUS AD SANCTUARIUM S. GABRIELIS A VIRGINE PERDOLENTE SATISFACIENDI TOTO ANNI TEMPORE IN IPSA BASILICA PRAECEPTO COMMUNIONIS PASCUALIS.

Prot. N. 3183/31

*Beatissimo Padre,*

Il Rettore Passionista del Santuario-Basilica di S. Gabriele dell'Addolorata (Isola del Gran Sasso) prostrato ai piedi della Santità vostra, espone quanto segue:

Durante tutto l'anno e specialmente nella stagione estiva ed autunnale, accorrono al Santuario suddetto migliaia e migliaia di pellegrini, per accostarsi ai Sacramenti della Confessione e Comunione, dai quali poi, nella maggioranza, stanno lontani il resto dell'anno, sia per abitudine inveterata, come anche, non poche volte, per mancanza di comodità nei loro paesi. Nel desiderio perciò di procurare il maggior bene spirituale dei pellegrini stessi, con dar loro facilità di compiere il Precetto Pasquale, l'umile Oratore, con il consenso dell'Ordinario del luogo, supplica la S. V. di voler concedere che i medesimi Pellegrini possano nel detto Santuario soddisfare al precetto pasquale, *toto anni tempore*.

S. Congregatio Concilii, attenta Ordinarii Pinnen. attestatione, eidem benigne tribuit facultates iuxta preces per quinquennium.

Datum Romae, die 28 Aprilis 1931.

I. CARD. SERAFINI, *Praefectus*.

I. BRUNO, *Secretarius*.

## SACRA POENITENTIARIA APOSTOLICA

(*Officium de Indulgentiis*).

Prot. 1167/31.

IN QUINQUAGESIMO ANNIVERSARIO ERECTIONIS CONFRATERNITATIS  
A PASSIONE IN ECCLESIA RECESSUS S. ANTONII APUD COUR-  
TRAI QUAEDAM INDULGENTIAE CONCEDUNTUR.

*Beatissime Pater,*

Rector ecclesiae titulo S. Antonii, curae Congregationis a Passione Jesu in Courtrai concreditae, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter petit, occasione sacrorum solemnium quae ob quinquagesimum anniversarium ab erectione in praefata ecclesia confraternitatis Passionis Domini Nostri Jesu Christi mense septembri currentis anni habebuntur, *Indulgentiam Plenariam*, a christifidelibus confessis et Sacra Synaxi refectis lucranda, die qua memoratum anniversarium celebrabitur, si alicui ex praedictis functionibus adstiterint et ad mentem S. V. preces fuderint. Insuper petit *Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum*, eadem die a ceteris fidelibus acquirendam, si saltem corde contrito alicui functioni uti supra interfuerint et iuxta memoratam intentionem oraverint. Et Deus etc...

DIE 27 JUNII 1931.

*Sacra Poenitentiarum Apostolica benigne annuit pro gratia iuxta preces. Contrariis quibuscumque non obstantibus.*

S. LUZIO, *S. P. Regens*.

S. DE ANGELIS, *Substitutus*.

## ACTA CURIAE GENERALIS

---

ELECTIO SECRETARII GENERALIS CONGREGATIONIS NOSTRAE, SECRETARII PRO MISSIONIBUS ET RECTORIS RECESSUS SS. JOANNIS ET PAULI DE URBE.

Die 11 mensis Julii Curia Generalis confirmavit in munere *Secretarii Generalis* Congregationis nostrae Adm. Rev. P. PETRUM A PRETIOSISSIMO SANGUINE.

Eadem die elegit in *Secretarium pro Missionibus* ad infideles, Congregationi nostrae creditis, Adm. Rev. P. INNOCENTIUM A PATROCINIO S. JOSEPH, II Consultorem Generalem.

Die autem 10 mensis huius in *Rectorem Recessus SS. Joannis et Pauli de Urbe* elegit Adm. Rev. P. BONAVENTURAM AB ASSUMPTIONE, I Consultorem Generalem.

---

## DOCUMENTA HISTORICA CONGREGATIONIS

---

### Animadvertenda

*In novo hujus commentarii programme (Acta etc., n. 1, 1 martii, pag. 1 etc.) haec leguntur: « SECUNDA PARS, DATA OCCASIONE EXHIBERE POTERIT, LINGUA ORIGINALI TUM DOCUMENTA HISTORICA CONGREGATIONIS NOSTRAE, TUM DOCUMENTA SPIRITUALIA, SIVE MAJORUM NOSTRORUM, QUI TAMQUAM LUCERNAE ARDENTES ET DICTIS ET FACTIS SUIS, VIAM NOBIS OSTENDUNT. SIVE ALIA PRO RERUM OPPORTUNITATE, AD CONGREGATIONIS SPIRITUM FOVENDUM ». Intra hujus programmatis fines, in primis DOCUMENTA HISTORICA, quae in Archivis vetustioribus Congregationis servantur, tamquam thesaurum pluribus e Nostris absconditum edere constituimus.*

*Principem locum procul dubio tenent RESCRIPTA, BREVIARUM BULLAE, quae primordia et progressum Sodalitatis nostrae respiciunt.*

I.

**De vivae vocis oraculo Benedicti XIII.**

(1725)

*Quasi primum documentum hujusce generis habenda est facultas VIVAE VOCIS ORACULO facta Paulo a Cruce a Benedicto XIII sibi socios cooptandi, vertente anno sacro 1725, in Basilica S. Mariae in Domnica, vulgo della Navicella. Quamvis piissimus praesul Jacobus Aemilius Cavalieri, episcopus Trojanus, Paulo consilium dedisset peculiari scripto tali solemni concessioni auctoritatem et fidem afferendi, haud scimus an revera hoc unquam exequendum quisquam curaverit. Equidem epistola Sancti Patris Nostri praefato Antistiti conscripta, in qua obtentam facultatem nunciabat, documentum foret, quo melius desiderari non posset; verumtamen usque nunc frustra, etiam in Curia episcopali Trojana, perquisita est. Traditio igitur dumtaxat nos certiores facit de hoc perinsigni beneficio. Traditio, quae documentis scriptis maximi momenti innititur; prout sunt nempe testimonia juramento firmata in processibus beatificationis et canonizationis S. Pauli a Cruce; DUAE EPISTOLAE Exc.mi episcopi Cavalieri (cfr. Bollettino a. 1929, pag. 232-233), nec non ANNALES nostri. In horum antiquioribus a P. Joanne Maria a S. Ignatio conscriptis legimus ad annum 1725:*

« ... di qui (Troia) si partirono per venire in Roma per  
« l'anno santo, e furono poi sotto la protezione di Mons. Cre-  
« scenzi, del Card. Corradini, e di Benedetto XIII, quale li volle  
« conoscere, e nella Chiesa della Navicella al Monte Celio,  
« vivae vocis oraculo, loro concesse la facoltà di adunar com-  
« pagni. Allegri e contenti per tal permesso, partironsi da Ro-  
« ma e fecero ritorno a Gaeta nel loro antico Ritiro della Ma-  
« donna della Catena, tutti occupati nei soliti loro spirituali e  
« santi esercizi ».

II.

**De dispensatione a voto perseverantiae in Valetudinario  
S. Gallicani, nec non confirmatione ad tempus tituli  
servitutis infirmorum.**

(1728)

*Alterum documentum est quoddam BREVE, quod nunc primum typis excuditur, a Tribunali S. Poenitentiariae Paulo a Cruce traditum, intercedente Cardinali Corradino, vi cujus Legifer Noster liber evadebat a quolibet officii munere infirmis serviendi in Valetudinario S. Gallicani. BREVE simile, Joanni Baptistae ejus fratri germano datum, usque nunc invenire nobis haud licuit. Tabulae, idest litterae, quae ad hoc negotium pertinent, nunc in Archivo Vaticano servantur; verum favente R.mo D.no Dominico Galletti, Archivii S. Poenitentiariae custodè, exemplaria luce expressa confici curavimus, quae nunc evulgantur.*

A) SUPPLEX LIBELLUS AUTOGRAPHUS S. PAULI A CRUCE.

*Dispensatio*



*Sub die 4 Feb. 1728.*

*Beat.mo Padre,*

Li due Fratelli Eremiti Paolo e Gio. Batta Danei, Sacerdoti del V. Ospedale di S. Maria, e S. Gallicano Umill.mi Oratori della Santità Vostra; espongono, come per essere ritrovati privi dello spirito, che fa bisogno per unirsi in tutto agli altri operarii e all'intiera cura degli infermi, massimamente di cavare sangue, operazione necessaria alla guarigione di detti infermi, secondo ordina la Bolla di V. S., e stimato convenevole per il buon governo di detto ospedale, mettere in luogo loro altri due, che s'abilitino in tali necessari impieghi. Ma per essere li detti fratelli stati ordinati a titolo del sudetto V. Ospedale, con voto semplice di perseveranza, e ora dovendosene uscire,



senza avere al presente alcuna provvigione, supplicano la S. V. di concedere loro che possano per un anno celebrare, sperando che in questo tempo il Signore Iddio li provvederà di qualche semplice beneficio, o patrimonio.

Che della carità ecc.

*Expediri de expresso.*

P. Archiep. NEOCAESAREN, S. P. Reg.

L. ✠ S.

*Dall'originale:*

D. D. GALLETTI, *Archivista.*

B) COMMENDATITIAE LITTERAE.

Vengono da V. S. Ill.ma li due poveri Eremiti, de quali mi diedi l'onore parlare con V. S. Ill.ma, col Rescritto delle grazie fatte loro da N. S., onde il Card. Corradini prega V. S. Ill.ma di farle sbrigare in Penitenzieria, e si dice

Ser.º vero di V. S. Ill.ma

*Dall'originale:*

D. D. GALLETTI, *Archivista.*

C) RESCRIPTUM.

*Alla Santità di N. S. Papa Benedetto XIII.*

A di 12 gennaio 1728.

EX AUDIENTIA SS.MI.

Alla Sac. Penitenzieria, acciò conceda agli oratori il *Breve* di poter celebrare la S. Messa dentro un anno, benchè siano partiti dall'Ospedale, nel quale non possono perseverare per le ragioni note a noi come protettore, perchè li fratelli Eremiti sacerdoti del V. Ospedale di S. Maria e S. Gallicano, Paolo e Gio. Batta Danei dentro quest'anno possano dalla Santità Sua esser provveduti *de beneficio* per loro sufficiente patrimonio.

P. Card. CORRADINI

... e Protettore dell'Ospedale di S. Gallicano.

E vuole ancora N. S. che gli oratori si dispensino dal voto di perseveranza fatto nella loro oblazione per servizio di detto Ospedale.

---

### Breve Pontificium.

#### PRAENOTANDA.

*Hujusmodi BREVIS, quod de mandato Summi Pontificis Benedicti XIII a Sacra Poenitentiaria fuit exaratum, membrana diuturno temporis lapsu, adeo obsoleta atque trita est ut litterae legi nequeant. Proinde cautum fuit per exemplum apographum, exscriptum cum pergamena charta minus exesa erat. Ceterum charta haec, manu S. Pauli a Cruce toties tractata, uti res sacra, idest reliquia pretiosa habenda atque servanda est.*

---

BERNARDUS MARIA, miseratione divina, titulo S. Bernardi ad Thermas, S. R. E. presbyter Cardinalis CONTI. S. A. M. Poenitentiarius dilecto nobis in Xto Paulo Danei Eremitae Sacerdoti Ven. lis Hospitalis Sanctae Mariae, ac Divi Gallicani de Urbe lateri salutem in Domino. Ex parte tua nuper porrectas SS.mo D.no N.ro Benedicto Papae XIII supplicationes.....as votum simplex perseverantiae in eodem Hospitali emisisti, et ad titulum hujusmodi perseverantiae ad omnes, etiam presbyteratus Ordines fuisti promotus. Cum autem, sicut eadem supplicatio subjungebat, ex causis E.mo D.no Cardinali Protectori ipsius Hospitalis notis, ac eidem Sanctitati Suae patefactis, in eo perseverare salubriter ad vitam diffideas. Ideo pro tuae conscientiae tranquillitate ac meliore servitio ejusdem Hospitalis per substitutionem aliorum extraneorum cupis per eundem SS.mum D.num Papam ab hujusmodi voto absolvi ac tecum sic absoluto ut in sacro ministerio tuos ordines ministrare licite possis in utroque foro dispensari. Quare idem SS.mus D.nus Noster specialem gratiam faciendo commisit officio nostrae Sacrae Poenitentiariae ut tibi in praemissis opportune de apostolicae potestatis plenitudine providere dignemur. Nos igitur qui

ejusdem Sacrae Poenitentiariae Domini Papae et Sedis Apostolicae curam gerimus, tuis hujusmodi supplicationibus quoque inclinati auctoritate apostolica, specialiter et sic expresse juxta Rescriptum diei... proxime praeteriti, eidem N.ro officio exhibitum Nobis concessa, te Paulum Danei sacerdotem super voto praedi. loci perseverantiae superius enunciatae in utroque foro absolvimus, tecumque sic absoluto, ut per annum (dummodo tamen (*intra*) tale tempus de aliquo ecclesiastico Beneficio, aut Patrimonio providearis) tuae sustentationi congruo, in sacro ministerio ministrare licite valeas, misericorditer in utroque pariter foro dispensamus. Non obstantibus quoad singula constitutionibus et ordinationibus apostolica auctoritate etiam in Conciliis Generalibus editis, nec non omnibus praefati Hospitalis statutis ac privilegiis, non obstantibus contrariis quibuscumque. Datum Romae a.... sigillo Officii Poenitentiariae.... Kal. Februarii Pontificatus Domini Benedicti Papae decimi tertii anno...

---

*Facultas Ordines exercendi hisce in litteris contenta ter ad annum prorogata fuit, tum pro Paulo, tum pro Joanne Baptista, per Rescriptum cujus tenor habetur quoad annum 1729 in quadam epistola conscripta a R.mo D.no Marcello Crescenzi, in qua haec legimus:*

---

*Extra.* — Alli molto RR. PP. Oss.mi D. PAOLO FRANCESCO, e Gio. BATTISTA DANEI nell'Eremitorio di S. Antonio.

Viterbo per Portercole.

*Intus.* Roma 11 dicembre 1728.

Dall'accluso Memoriale con il Rescritto — *die 3 Decembris* 1728 — *ex Audientia Sanctissimi. Sanctissimus annuit pro prorogatione ad alium annum juxta petita* — riconosceranno la proroga ottenuta dal Papa per un altro anno. Fra tanto si anderà osservando, se viene l'occasione di provvederli: e per facilitare,

il Signor Cardinale Corradini desidera sapere, se sono loro capaci de' benefici dello Stato di Milano, essendo più facili a vacare, e però sarà bene avvisarmi di dove proprio loro sono nativi, e la diocesi. Si raccomandino al Signore acciò faccia sollecitare quest'affare per potere con quiete celebrare il Santo Sacrificio, e con raccomandarmi caldamente alle orazioni di tutti tre resto

*Aff.mo servitore*  
MARCELLO CRESCENZI.

(Cf. *Summ. Addit. super virtut.*, n. 7, pag. 165).

---

*Quoad annum 1730 extat supplex libellus duorum Fratrum Danei, cum Rescripto in calce, editus in Collectione Epistolarum S. Pauli a Cruce (vol. IV appendice pag. 191).*

*Item quoad annum 1731: sed Rescriptum concessum est a Clemente XII, qui anno 1730 Benedicto XIII successerat (cf. Lettere l. c. pag. 192).*

### III.

#### De titulo ac indulgentiis missionis.

(1731)

*Eodem tempore, quo, ut supra, Rescriptum prorogationis indulgebatur, petentibus iisdem oratoribus, Clemens XII novum titulum, nempe MISSIONIS utrique fratri concessit, quo ab ulterioribus petitionibus eximebantur.*

*Supplex libellus una cum Rescripto, sub die 23 Februarii 1731, legitur in praefata Epistolarum Collectione (l. c. p. 193). Ad hanc gratiam ab Apostolica Sede impetrandam hortatus fuerat pios fratres benignissimus Praesul Crescenzi, qui iisdem scripserat:*

*Molto Rev. di Padri P. ni Oss. mi,*

Ho già pregato il Sig. Card. Corradini, acciò parli al Papa, per ottenere altra proroga per poter celebrare la S. Messa, benchè senza il necessario patrimonio, e S. Em.za si è assunto il peso di tutto, ma ha però insinuato, esser necessario che Mons. loro Vescovo, scriva una lettera al Sig. Sud. (*il Papa*), nella quale gli esponga il bene che loro prestano alle anime, e il bisogno che tiene, che loro celebrino la S. Messa, per maggiormente poter assistere al bisogno de' prossimi, e questo a fine che se mai nel papa vi nascesse qualche difficoltà di concedere d.<sup>a</sup> proroga. Li prego a tenermi ricordato nelle loro orazioni, e stiano di buon animo che il Signore opererà per mezzo loro cose grandi, come spero, e perciò si mantengano nella santa perseveranza e desideroso di servirli resto delle SS. Loro

Roma 6 Gennaio 1731.

*Aff.mo Dev.mo Serv.re*  
MARCELLO CRESCENZI.

P. PAOLO e GIO. BATTISTA DANEI  
*Eremiti nell'Eremitorio di S. Antonio*

Viterbo p. Potercole.

*Vi tituli Missionis, Paulus et Joannes Baptista exinde uti missionarii apostolici habiti sunt* (cf. Bollettino a. 1929 p. 205).

*Procul dubio de hoc titulo missionis mentionem iniicit R. mus D. nus Joannes Maria Moretti, Vicarius Abbatialis Orbelli quum in quadam sua epistola (die 22 m. Octobris 1736) scribit: « Universis et fidem facimus, atque testamur, RR. Sacerdotes saeculares Paulum et Joannem Baptistam Fratres Germanos De Daneis PONTIFICIO DIPLOMATE MISSIONARIOS APOSTOLICOS etc. ».*

*Ut sacrae expeditiones avidius a populis Dioecesis Suanensis expeterentur, Paulus ac Joannes Baptista, statim ac titulo missionis a Sancta Sede provisi sunt, operam dederunt ut aliqua Indulgentia Sacrae Missiones ditarentur. Orator fuit ipse Episcopus Suanensis Christophorus Palmieri, ad quem Summus Pontifex misit Litteras Apostolicas seu Breve, quod est tenoris sequentis:*

CLEMENS PP. XII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM. Coelestium munerum Thesaurus, quorum dispensatores esse nos voluit Altissimus, cum ad Catholicae Religionis incrementum et animarum salutem profuturos speramus, libenter elargimur, cum itaque sicut venerabilis Frater modernus Episcopus Suanen. ipse nonnullos Praesbyteros saeculares, seu de superiorum suorum licentia Regulares in diversa loca suae dioecesis praefatae ad procurandam fidelium salutem mittere intendat, Nos ejusdem moderni Episcopi zelum et vigilantiam plurimum in Domino commendantes ac eorundem Praesbiterorum Saecularium, seu Regularium, illorumque, ad quos ipsi mittentur, devotionem confovere, atque augere cupientes, omnibus et singulis Praesbiteris praefatis ac aliis utriusque sexus christifidelibus, ad quos mittendi accesserint nostram et Apostolicam Benedictionem per praesentes impartitur, eisdemque vere poenitentibus, et confessis ac sacra Communione refectis, qui pro S. Romanae Ecclesiae exaltatione, Principum christianorum unione, Infidelium conversione, et Haeresum extirpatione, prout unicuique suggeret devotio pias ad Deum preces effuderint Plenariam una vice dumtaxat tempore uniuscujusque Missionis omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Praesentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur praesentes nullae sint, quodque praesentium transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XVIII iulii MDCCXXXI pontificatus nostri anno secundo.

F. Card. OLIVERIUS.

Gratis pro Deo et....

Publicetur ad seriem Brevis.

Hac die 24 Novembris 1731.

CHRISTOPHORUS EPISCOPUS SUANEN.

*Breve originale, in pergamena charta, ad duos fratres Danei missionarios transmissum fuit a R.mo D.no Marcello Crescenzi, qui ipsis scribit:*

*Molto RR. PP. P.ni Oss.mi,*

Accludo l'Indulgenza ottenuta dal Papa in occasione delle Sante Missioni, che suppongo sarà di somma loro consolazione, siccome altresì è stata molta la mia in sentire il consenso generale del popolo in volergli fabbricare un Ritiro con Chiesa, e per tale effetto già è stato avvisato il Sig. Card. Corradini, che darà piena informazione di loro al Sig. Card. Lorenzo Altieri, quando ne sarà ricercato. Ma per esser l'E.mo molto da bene, stimo che darà subito il suo consenso, in caso però contrario, anche non interrogato il Sig. Card. Corradini, parlerà in loro favore, e lo farò anche io, per esser il Sig. Card. Altieri mio buon padrone.

Per il Romito da me ricercato, hanno tempo a cercarlo, non potendolo mandare alla mia Abbazia fino a Novembre, e avrei molto a caro averlo per le loro mani, ma quando non gli capiti cosa a proposito, penserò altrove. Il non darmi avviso alcuno del loro fratello chierico, mi fa credere stia costante, e contento della vita intrapresa, e credano che ne vivo sollecito, perchè Iddio anche di lui vuol servirsi per la sua gloria, in promuovere questo santo Ritiro, ogni avanzamento del quale è di somma mia consolazione. E perciò li prego a tenermi raccomandato con viva memoria al Signore e desideroso di servirli resto di V. R.

Roma, 4 Agosto 1731.

*Aff.mo dev.mo S.º*  
MARCELLO CRESCENZI.

P. PAOLO e GIO. BATTISTA DANEI  
*Eremiti.*

Viterbo p. Potercole. - S. Antonio.

---

*Septennio exeunte, idest anno 1738, orantibus Paulo et Joanne Baptista, Indulgentia praefata a Summo Pontifice Clemente XII confirmata fuit atque extensa absque ulla temporis limitatione ad omnes Missiones INTRA ITALIAM. Verum tantum oratoribus praesens gratia suffragabatur.*

*Supplex libellus, una cum Rescripto, quorum servatur membrana originalis in Generali Nostro Archivo, legi potest in Collectione Epistolarum Legiferi Nostri.*

(Vol. IV, pag. 194).

#### IV.

### **Rescriptum Apostolicum Approbationis Regularum Sodalitatis nostrae.**

(1741)

Die 15 maii 1741.

Facta per me relatione SS. D:no Nostro Benedicto XIV praeinsertarum Regularum et Constitutionum Congregationis Minimorum Clericorum Regularium Excalceatorum erigendae sub Invocatione Sanctae Crucis et Passionis Domini Nostri Jesu Christi jam pridem revisarum ab Em. mis et Rev. mis DD. S. R. E. Cardinalibus Petro Corradino Episcopo Tusculano, et Carolo Rezzonico, nec non Abbate Petro Maria Garagno, Sanctitas Sua eas benigne per praesens Rescriptum approbavit, emulgavit, ac in perpetuum et inviolabiliter observari mandavit, perinde ac si per Litteras Apostolicas in forma Brevis approbatae, emulgatae, et confirmatae fuissent in omnibus et per omnia juxta votum praeaudatorum DD. um Cardinalium et Abbatum Petri M. ae Garagni, et nempe sub conditione quod Clerici huius Congregationis, quorum finis unicus est peragendi sacras Missiones, debeant specialiter Missiones facere, et Clericos ad praedictum effectum mittere per Locos, Oppida, et Rura in aere minus salubri, Insulis et Regionibus incultis posita, et in quibus aliae domus Missionariorum non reperiuntur, ut ita sit provisum Christifidelibus ibidem commorantibus, et Sacris Missionibus destitutis, semper tamen de consensu Ordinariorum; quibus etiam permissum sit quatenus in Domino expedire puta-



verint eosdem Clericos vocare ad Sacras Missiones peragendas in Locis eorum dioecesis, tametsi alii Regulares, et Missionarii in iis existant, quibuscumque Constitutionibus Apostolicis, aliisque quomodolibet in contrarium facien. non obstantibus.

L. † S.

J. JACOBUS MILLO, Auditor.

VOTUM DUORUM CARDINALIUM NEC NON ABBATIS DE QUIBUS SERMO EST IN RESCRIPTO.

Cum Nobis infrascriptis commissum fuerit a SS.mo D.no N.ro Benedicto XIV Constitutiones, et Regulas Congregationis Minimorum Clericorum Regularium Excalceatorum sub invocatione Sanctae Crucis et Passionis D.ni N.ri Jesu Christi revideri, jussumque fuerit referre, an Eaedem Regulae, et Constitutiones possint a Sanctitate sua approbari, et confirmari, et an id expediat. Post habitam inter Nos diligentem discussionem, exponimus humiliter eidem SS.mo, Constitutiones et Regulas praedictas si Sanctitati Suae placuerit, eodem modo, quo emendatae fuerunt a Nobis, et prout in foliis praedictis scriptae sunt posse approbari praevio Rescripto Sanctitatis Suae, non autem praevisis Litteris in forma Brevis, cum Haec Congregatio recens sit, et paucos habeat Clericos, qui eidem Congregationi ascripti sint, et quatenus Deo permittente et favente crescat Confratrum numerus, et augeantur Regulares domus, tunc poterit fieri sollemnis confirmatio per Litteras in forma Brevis. Consulimus autem Sanctitati Suae summopere expedire praedictas Regulas approbare, cum conditione tamen, quod Clerici hujus Congregationis, quorum finis unicus est Sacras Missiones peragere, debeant specialiter Missiones praedictas facere, et Clericos mittere ad praedictum effectum ad Loca, Oppida, et Rura, in ahere minus salubri, insulis et Regionibus incultis existentia, et in quibus aliae domus Missionariorum non existant, ut ita provisum sit Christifidelibus in iisdem Locis morantibus, et Sacris Missionibus destitutis, semper tamen de consensu Ordinariorum, quibus etiam permissum sit eosdem Clericos vocare, ut sacras Missiones peragant in Locis eorum Dioecesis tametsi alii Regulares, et Missionarii in iis existant; quatenus in Domino

id expedire putaverint. Quae dicta sint ad effectum obtemperandi Mandatis Sanctitatis suae, a cujus arbitrio, et iudicio gratia, quae petitur dependet.

Hac die 30 Aprilis 1741.

PETRUS Card.lis CORRADINUS, *Epis. Tusculanus.*  
CAROLUS Card.lis REZZONICO.

PETRUS MARIA GARAGNUS.

---

*Textus authenticus Regularum adprobatarum, qui in Archivo Generali servatur, SERMONE ITALICO conscriptus est. Capita sunt quadraginta. In principio legitur nomen JESUS. In fine haec verba extant: AL SOLO DIO ONORE E GLORIA.*

---

*Addimus aliqua documenta, quae ad hanc primam Regularum approbationem pertinent. Et ante omnia nonnullae afferuntur epistolae illustrium Virorum, qui votum supradictum exararunt, omissis pluribus aliis eorundem, quae hoc negotium remote attingunt.*

a)

EPISTOLAE R.MI D.NI ABBATIS PETRI MARIAE GARAGNI

1.

*Molto R.do P. P. Oss.mo,*

Deo gratias. Finalmente mi è riuscito di poter avere da questi Emin.mi il compimento delle Costituzione, e loro approvazione, e sottoscrizione, e già ho presentate queste a Sua Santità, che si è degnata darne subito commissione e ordine al Nostro Mons. Millo suo Auditore, acciò ne formasse il Rescritto, del quale Rescritto Sua Beatitudine di propria bocca gliene ha dato il metodo, come si degna farmi sapere Nostro Signore con un suo biglietto, e quanto prima sarò dal sud. Monsignore per sollecitarlo a terminare l'affare. Ho pure fatto impegno appresso l'E.mo Altieri per avere la facoltà di tenere in cotesta sua Chiesa il Santissimo Sacramento secondo al di lei gran deside-

rio ed il Sig. Abbate Cagnetti Auditore del sud. E.mo ha assicurato che opererà per l'intento, essendo questi mio amico e ad esso si rimetterà il Memoriale che già tengo in pronto; e mi dice questo Sig. Avvocato Cagnetti che quanto prima deve esser in coteste parti d'Orbetello a fare la solita visita.

Sua Santità fa fare pubbliche preghiere, per il qual'effetto ha messo fuori un'Indulgenza, acciò tutti preghino Iddio a voler ritenere i suoi castighi, che si vedono imminenti, ed avrà ella intesa la nuova de' terremoti, che si sono sentiti per la Marca con danni e rovine notabili, onde ancor Ella preghi e faccia pregare il Sommo Iddio a muoversi a pietà di noi; e La prego anche a raccomandare e far raccomandare da' suoi religiosi, e me e gli affari di gloria di Dio e secondo la mia intenzione; e vorrei bene poterli venire una volta a ritrovare, per godere la loro buona compagnia e per fine pregandola de' mie rispetti e saluti a tutti cotesti suoi religiosi, a Lei con piena stima ed affetto mi raffermo,

Di V. R.

Roma, li 13 Maggio 1741.

Spero di poter rimettere le Costituzione ed il Rescritto di Sua Santità e la facoltà di tener il Venerabile nella loro Chiesa al nostro Signor Cavaliere, che stimo felice in sapersi scegliere un così bel soggiorno di pace.

Ella si contenti pregare e far pregare e credermi con tutto affetto, stima e sincerità di cuore

*Dev.mo, obl.mo e aff.mo servo*

PIETRO GARAGNI.

2.

*Molto Rev. Padre P.ne Oss.mo,*

Se ne viene a cotesta volta il n.ro stimatissimo e amatissimo Sig. Cavaliere, al quale ho rimesso le Costituzione e il Rescritto della Santità Sua, come pure la facoltà di poter tener il Santissimo Sacramento nella lor Chiesa, e con questi fogli e beneficenze del Signor Iddio mando ancora loro il mio cuore tutto affezionato ed ossequioso; assicurandola che dove potrà

servirli lo farò sempre ben volentieri, e di tutto cuore come ho fatto; vivendo appunto sicuro, che non si scorderanno di pregare per me, e secondo la mia intenzione, del che la prego instantemente e continuamente di fare. Spererei poi di poter esser a goderli, (se così piacerà al Signore), verso questo prossimo ottobre; ed a godere della loro divozionè e santo Ritiro e gratissima compagnia. Frattanto di nuovo le replico di tenermi raccomandato con ogni maggior assiduità e fervore nelle loro orazioni, e me, e gli affari di gloria di Dio, e di credermi quale con tutto affetto e stima e con questi sentimenti dettati di propria bocca mi rassegno per sempre di V. R.za

Roma, li 26 Maggio 1741.

*Dev.mo, obl.mo e aff.mo servo*  
PIETRO MARIA GARACNI

*Extra.* — Al m.° Rev.do P.re P.ne Oss.mo.  
Il P.re PAULO DELLA CROCE, *Min. Chierico Regolare.*

Nel Ritiro della Presentazione di Maria SS.ma.

Viterbo p. Orbetello. - Al Monte Argentario.

---

b)

EPISTOLAE E.MI D.NI CARDINALIS CAROLI REZZONICO

1.

*M.to Rev.do Pre.*

Finalmente si può dire, che completa sint omnia; poichè col Pontificio rescritto restano già confermate le loro Sante Costituzioni. Io l'ho veduto l'altro giorno, e forse V. R. l'avrà presentemente alle mani, dovendolo portare seco il Signor Vicario di Barletta, quale per venire costì, altro non aspettava, che avere da Nostro Signore la Benedizione, che si era per molti giorni procurato, con frequentare l'anticamera, ma senza profitto; puole però darsi, che a quest'ora li sia sortito, e che sia non solo incaminato, ma arrivato costì. Io desidero da lei con

tutta candidezza, e sincerità religiosa, che mi scriva veramente, se le cose sono di sua soddisfazione, essendo seguita poca variazione, alla quale, io solo, non mi sono potuto opporre, e la ragione io gliela dissi in voce; e per ciò bramo il suo sentimento per mia quiete, e consolazione. Mi riprometto dalla sua carità l'assistenza delle sue Orazioni, delle quali si fa sempre maggiore il bisogno, e riverendo il P. Giovanni Battista con li altri religiosi Compagni, le auguro ogni vero bene.

Roma, 20 Maggio 1741.

*Al suo piacere*  
C. Card. REZZONICO

P. PAOLO DELLA CROCE (Orbetello).

2.

*Molto Rev.do Padre,*

Mi rallegro del felice arrivo, che dalla graditissima sua intendo abbia fatto costì il Signor Vicario, quale se è venuto in cotesto Santo Ritiro pieno di spirito, e di fervore, molto non v'è dubbio li si accrescerà, non solo dalla santità del luogo, ma altresì dalli Santi Esercizi, quali si praticano, e dalli esempi di singolar virtù, ch'egli avrà d'ammirare in tutti li Religiosi congregati. Il Signore sia quello che accresca in lui quei sentimenti, de' quali gli aveva già arricchita l'anima prima della sua partenza, ed alli quali ha saputo si ben corrispondere, che si è meritato di vederli adempiti. Non senza particolar disposizione della Divina Provvidenza, credo che sia stata prolungata fin a quel tempo la sua venuta; acciò portando egli seco la grazia fatali dal Signore Card. Abbate di poter nella loro Chiesa ritenere il Santissimo Sacramento principiassero appunto a godere la continua, reale presenza del Signore nel giorno in cui la Santa Chiesa celebra la memoria del grande incomprendibile beneficio, che ha fatto a tutto il genere umano; io ne godo estremamente, perchè spero che così colle loro Orazioni, rimarranno in qualche parte riparate alla Sagramentata Divina Maestà quelle tante irreverenze, che pur troppo tutto giorno si commettono nel Mondo alla sua presenza. Venend'ora poi al partico-

lare delle Costituzioni, io la ringrazio, che mi abbia aperto il suo cuore, nè mi è giunto nuovo quanto ella meco si è espressa, perchè me lo aveva notato nel foglio, e in sequela della memoria, che me ne aveva lasciata, io non ho mancato di procurare, che non mi s'imponesse quel peso allegando appunto la loro ritiratezza, e solitudine, ma non potei ottenere, che fosse tolto affatto, e quanto si è potuto conseguire è stata la modificazione con la clausola appostavi, quale per verità credo li renderà sempre immuni da quel peso, comechè le fondazioni si faranno sempre in luoghi lontani. E' tutto puro effetto della sua carità le Orazioni che fanno per me, poichè io nulla ho saputo fare per loro, e volesse Iddio, che avessi potuto con qualche parte cooperare ad una sì santa opera, mentre goderei di aver procurato che facciano gli altri quel bene che non so, nè saprò mai far io; quello che mi è di qualche consolazione si è il vedere, che in minima parte il Signore si è voluto servire di me, e ciò è pur tutt'affatto sua disposizione, mentre Egli ha messo in cuore, e in bocca di Monsignor Crescenzi, l'incaricarmi prima della sua partenza di tal negozio, mentre io non avevo fin a quel punto minima cognizione delle loro persone, e son certo, che quando io gli manderò la sua lettera, la leggerà con giubilo e contento spirituale. In quanto all'altra lettera insinuatale dal Sig. Conte Garagni l'ho per cosa ben fatta, con me però potrebbe risparmiarla per molti capi, se non fosse per non mostrare di non dipartirsi dalli consigli di quel buon Sacerdote, quale per verità ha fatti molti, e poi molti passi per condurre affine la grand'opera quale Iddio a sua maggior gloria sempre promuova. Intanto prego lei di tenermi ragguagliato delli progressi, che andrà facendo, e delli acquisti delli soggetti che farà nel suo Ritiro, sperando nella Misericordia del Signore di vederlo sempre accresciuto. Al principio del mese entrante penserei d'intraprendere il viaggio verso la Patria, per trattenermi sino a Novembre; s'Ella mi ha da comandare qualche cosa, lo faccia con libertà, e confidenza religiosa; intanto di nuovo mi raccomando alle sue Orazioni e sopra tutto preghi il Signore che mi dia maniera di far ciò, che è di sua gloria, e servizio, e che non manchi al mio dovere in tutto ciò che sono incaricato di fare. Non mi stendo di vantaggio, perchè suppongo si ricordi di quelli discorsi che si sono fatti. Mi riverisca con gli altri compagni il

P. Giovanni Battista ed il Sig. Vicario, e il Signore sia quello che ricolmi tutti delle sue Benedizioni.

Roma, 10 Giugno 1741.

*Al suo piacere*

C. Card. REZZONICO

P. PAOLO DELLA CROCE, nel Ritiro della Presentazione.

c)

EPISTOLA E.MI D.NI CARDINALIS PETRI CORRADINI

*Molto Rev.do Padre,*

Ricevo la sua lettera di ringraziamento per aver contribuito a fargli conseguire la grazia, che hanno ottenuta da Sua Santità, ed io all'incontro rendo grazie a Dio d'aver cooperato ad un'opera sì santa, quale è l'Instituto della sua Congregazione, quale piacendo al Signore di benedire, e che si vada dilatando, come spero nella Divina Misericordia, allora si avrà subito il Breve Pontificio. Non si scordi lei intanto di avere continua memoria di me nelle sue orazioni e faccia sempre pregare Dio per me da tutti cotesti Congregati, e resto D. V. P.

Roma, 15 Luglio 1741.

*Aff.mo di tutto cuore*

P. Card. CORRADINI.

P. PAOLO DELLA CROCE, *Ch. Reg. Scalzo.*

Viterbo per Orbetello, Ritiro della Presentazione.

d)

EPISTOLA EXC.MI D.NI ANTONII VEGNI, EPISCOPI SUANENSIS

*Extra:* Al molto Rev.do Padre Pro.ne Oss.mo

Il P. PAOLO DELLA CROCE

*Min. Reg.re Scalzo.*

Viterbo p. Orbetello - Al Ritiro della Presentazione.

*Intus:*

*Molto Rev.do Padre,*

Odo con particolare consolazione dal foglio di V. R. de' 5 corrente la permissione ottenuta dalla Clemenza di Nostro Si-

gnore di fondare l'accennato Ordine Regolare. Io nel ringraziarLa della distinta notizia, non mancherò tal quale mi sia, di pregare il Signore per la propagazione di tale esemplarissimo Ordine e perfezione de' soggetti che abbiano abbracciato, e abbraccieranno la regola di esso. Ringrazio vivamente la di lei bontà delle notizie portemi e le do facoltà con questo di udire in questa Diocesi le sacramentali confessioni coll'altra ancora de' casi riservati da durare a mio beneplacito. Tanto mi occorre non diffondendomi di più per le occupazioni, nelle quali mi tiene ancora la Sag. Visita e pregandola delle sue orazioni con piena attenzione di servirla e di giovare a codesto Ven. Convento, se mai fossi creduto atto, le rassegnò la devota mia osservanza.

Di V. R.nza

Sovana, 13 Luglio 1741.

*Devot.mo obl.mo servitore*  
ANTONIO, *Vescovo di Sovana.*

---

*Conferantur Epistolae S. Pauli a Cruce, quae de Regularum hac prima approbatione agunt, nempe, vol. I, pag. 91, 268, 419, 421, 479, 481; vol. II pag. 217, 219, 251, 269, 271.*

---

e)

*Notitia dictae approbationis in quodam commentario cui nomen AVVISI erat, Fulgini evulgata sub die 30 junii 1741.*

« La Santità di Nostro Signore Benedetto XIV sempre applicato a promuovere la salute delle anime, non solamente  
« s'è degnato approvare la nuova Congregazione de Minimi Cherci Regolari Scalzi sotto l'invocazione della S. Croce e Passione di Gesù Cristo facendo tutti li Congregati il 4° voto di  
« promoverla nel cuore de' fedeli nelle missioni, portando a tal effetto il segno distintivo con Croce bianca tanto nella tonaca, quanto nel mantellò, e sotto detta Croce il titolo della  
« Passione (l'Altissimo per stabilire la detta Congregazione ha



« voluto servirsi del Padre Paolo Daneo, ora cognominato della  
« Croce, del Castellazzo diocesi d'Alessandria della Paglia, il  
« quale nel Monte Argentaro, territorio di questa città Orbitello  
« Capitale de' Presidii di Toscana, ha eretta la prima chiesa e  
« casa di numerose stanze) ma in oltre detto Sommo Pontefice  
« ha inviato nella detta Congregazione il Religioso Gerosolimi-  
« tano già Vicario del gran Priorato di Barletta. Frat'Angelo  
« M.a Gabriello Di Stefano, il di cui zelo e spirito si comprende  
« dal divoto e molto profittevole Libro che egli ha composto inti-  
« tolato: *La guida dell'anima cattolica, che la conduce all'eter-  
« na salute* ».

Concorda col foglio originale degli Avvisi di Foligno, 20 Giu-  
gno 1741.

In fede, etc. Questo dì 7 Nov. 1823.

GIOACCHINO DELLO SP. S.  
Archivista.

---

## CHRONICA CONGREGATIONIS NOSTRAE

---

PROVINCIA B. M. V. DOLOROSAE.

1. — *Capitulum Provinciale*. — Habitum a die 5 ad diem 10 Ju-  
nii 1931 in Recessu S. Mariae ad Montes (Napoli), eique praefuit  
Rev.mus P. Titus a Jesu, Praep. Generalis. Electi autem sunt:

in Praepositum Provinciae (Napoli), P. ANGELUS A VIRGINE PER-  
DOLENTE;

in 1.um Consultorem: P. Amidaeus a SS. Rosário;

in 2.um Consultorem: P. Theodosius a Virgine Perdolente;

in Rectorem Recessus S. Mariae ad Montes (Napoli): P. Caro-  
lus a Virgine Gratiarum;

in Rectorem Recessus S. Mariae de Corniano (Ceccano): P. Vin-  
centius a Quinque Vulneribus;

in Rectorem Recessus S. Sosii M. (Falvaterra): P. Raymundus a  
S. Andrea;

in Rectorem Recessus S. Mariae de Puliano (Paliano): P. Philip-  
pus a S. Familia;

in Rectorem Recessus S. Mariae Angelorum (Sora): P. Lucas a  
V. Pompeiana;

in Rectorem Recessus B. M. V. Gratiarum (Pontecorvo):  
*P. Franciscus Xaverius a V. Pompeiana*;  
in Magistrum Novitiorum (Paliano): *P. Hermenegildus a S. Gregorio Magno*.

2. — *Eligitur Rector Recessus S. Mariae Gratiarum (Pontecorvo)*.  
— Cum munus Rectoris in memorato Recessu vacasset ob renuntiationem *Adm. R. P. Francisci Xaverii a Virg. Pompeiana*, Curia Provincialis ad idem munus elegit *Adm. R. P. Isidorum a S. Dominico*, die 21 Junii 1931.

PROVINCIA B. M. V. PIETATIS.

*Capitulum Provinciale*. — Habitum est a die 2 ad diem 7 Julii 1931 in Recessu B. M. V. a Pietate (Recanati), eique praefuit Rev.mus P. Titus a Jesu, Praep. Generalis. Electi autem fuerunt:

in Praepositum Provinciae (Recanati): *P. STANISLAUS A SPIRITU SANCTO*;  
in 1.um Consultorem: *P. Anacletus a Virgine Perdolente*;  
in 2.um Consultorem: *P. Marianus a Virgine Pompeiana*;  
in Rectorem Recessus B. M. V. de Quercu (Morrovalle): *P. Angelus Aloisius a Matre Dei*;  
in Rectorem Recessus B. M. V. a Pietate (Recanati): *P. Anselmus a Jesu Infante*;  
in Rectorem Recessus SS. Nominum Jesu et Mariae (Moricone): *P. Seraphinus a Virgine Perdolente*;  
in Rectorem Recessus B. M. V. Immacolatae (Isola del Gran Sasso): *P. Marinus a Jesu et Maria*;  
in Rectorem Recessus B. M. V. a Visitatione (S. Arcangelo di Romagna): *P. Albertus a S. Corde Mariae*;  
in Rectorem Recessus B. M. V. de Stella (Montefalco): *P. Raymondus ab Annuntiatione*;  
in Rectorem Recessus S. Joseph (Pontefelcino): *P. Gregorius a Maria de Prodigiiis*;  
in Magistrum Novitiorum: *P. Mauritius a Sacra Sindone*.

PROVINCIA PURISSIMI CORDIS B. M. V.

1. — *Capitulum Provinciale*. — Habitum a die 16 ad diem 23 Julii 1931 in Recessu S. Pancratii M. (Pianezza), eique praefuit Rev.mus P. Titus a Jesu, Praep. Generalis. Electi autem fuerunt:

in Praepositum Provinciae (Pianezza): P. STANISLAUS A VIRGINE PERDOLENTE;

in 1.um Consultorem: P. *Iustinus a Virgine Assumpta*;

in 2.um Consultorem: P. *Felix ab Immaculata*;

in Rectorem Recessus Pegli (Genova): P. *Lucas a S. Maria*;

in Rectorem Recessus S. Pancratii M. (Pianezza): P. *Philippus a Matre B. C.*;

in Rectorem Recessus SS. Cordis Jesu (Caravate): P. *Cherubinus a Praesent.*;

in Rectorem Recessus N. D. delle Rocche (Molare): P. *Ignatius a Cruce*;

in Rectorem Recessus N. D. a S. Cassiano (Cameri): P. *Basilius a S. Familia*;

in Rectorem Recessus S. Gabrielis (S. Zenone): P. *Carolus a F. SS. Rosarii*;

in Rectorem Recessus S. Francisci Assis. (Brugnato): P. *Thomas a S. Latere*;

in Rectorem Recessus B. M. V. Gratiarum (Grazie): P. *Theodosius ab Immaculata*;

in Magistrum Novitiorum (S. Zenone): P. *Beniamin a Jesu*.

2. *Eliguntur Rectores Recessuum N. D. delle Rocche (Molare) et B. M. V. Gratiarum (Grazie)*. — Cum munus Rectoris in memoratis Recessibus vacasset ob renuntiationem *Adm. RR. PP. Ignatii a Cruce, et Theodosii ab Immaculata*, Curia Provincialis ad idem munus elegit, pro primo Recessu, *Adm. R. P. Hadrianum a S. Michaelae Archang.*; et pro secundo, *Adm. R. P. Antonium a Maria Auxiliatrice*, die 10 Augusti 1931.

3. *Sacra Ordinatio*. — Die 28 Junii 1931, Sacro Presbyteratus Ordine insignitus est *Pater Franciscus a Matre Dei*.

#### PROVINCIA A LATERE CHRISTI.

*Capitulum Provinciale*. — Habitum est a die 18 ad diem 25 Augusti in Recessu S. Cordis Jesu (Manduria), eique praefuit Rev. mus P. Titus a Jesu, Praep. Generalis. Electi autem fuerunt:

in Praep. Provinciae (Manduria): P. RAYMUNDUS A VIRGINE PERDOLENTE;

in 1.um Consultorem: P. *Claudius a S. Francisco*;

in 2.um Consultorem: P. *Michaël a S. Joseph*;

in Rectorem Recessus SS. Cordis Jesu (Manduria): P. *Aemilius a Virgine Perdolente*;

in Rectorem Recessus Purissimi Cordis B. M. V. (Novoli): *P. Ildefonsus a Virgine Perdolente*;

in Rectorem Recessus S. Pauli a Cruce (Ceglie Messapico): *P. Ambrosius ab Assumptione*;

in Rectorem Recessus B. M. V. de Catena (Laurignano): *P. Modestus a Virgine Assumpta*;

in Rectorem Recessus S. Francisci Paulani (Fuscaldo): *P. Joannes a S. Dominico*;

in Magistrum Novitiorum (Laurignano): *P. Eugenius a S. Raphaelae Arch.*

#### PROVINCIA S. FAMILIAE.

*Canonica electio Magistri Novitiorum.* — Cum *Adm. R. P. Thomas a S. Corde Jesu*, Novitiorum Magister, renuntiatus fuerit II Consultor Provincialis, Curia Provincialis, cum consensu Rev.mi *P. Praep. Generalis ad Munus Magistri Novitiorum* postulavit, ob defectum aetatis canonicae, *Adm. R. P. Fulgentium a S. Teresia*, die 25 Maii 1931. Postulatio vero ad S. Congregationem praesentata, benigne admissa est.

#### PROVINCIA SS. CRUCIS.

*Professiones temporariae.* — In Recessu SS. Cordis Jesu (Louisville), die 30 Julii 1931, vota temporaria emisere *Confratres: Paschalis a SS. Sacramento, Cormac a Matre Dei, Mel a Matre Dei, Regis a SS. Cordibus, Fulgentius a Matre Dolorosa, Nilus a SS. Cordibus, Carol a SS. Sacramento, Ernan a Matre Dei, Benedictus a Matre Dei, Flannan ab Infante Jesu, Brice a SS. Cordibus, Finan a Matre Dolorosa, Elmer a Matre Dei, Conleth a Maria, Carolus a Spiritu Sancto, Rodolphus a Sancta Teresia, Justinianus a SS. Cordibus; et Fratres: Geraldus a S. Joseph, Henricus a Cruce, et Jacobus a S. Corde.*

#### PROVINCIA PRETIOSISSIMI SANGUINIS.

*Ordinationes sacrae.* — Die 21 Martii 1931, Sacro Presbyteratus Ordine insigniti sunt: *Patres: Felicianus ab Immaculata, Petrus a SS. Redemptore, Stanislaus a Virgine Perdolente, Xistus a Passione, Emmanuel a S. Joseph, Gabriel ab Annuntiatione, et Fidelis a Praesentatione.*

RECESSUS POLONIAE.

*Professio temporaria.* — In Recessu SS. Jacobi et Annae (Przaznys), die 4 Junii 1931, vota temporaria emisit *Frater Ambrosius a Spiritu Sancto.*

---

## MISSIONES

---

DE DIE DOMINICO MISSIONALI CELEBRANDO.

Consilium Superius Pontificii Operis de Propaganda Fide, datis litteris, vehementer hortatur omnes Superiores Ordinum religiosorum ut maximo cum studio curent ut dies Missionibus sacra, quae hoc anno in diem 18 Octobris incidit, felicissimum habeat exitum. Ad quem obtinendum dicit suum esse desiderium ut folia periodica vel ephemerides, quibus Religiosi moderantur, diem illam praeparent, suis lectoribus summopere inculcando debitum subveniendi efficaci modo Missionibus catholicis; ipsa autem dies in omnibus Ecclesiis vel Institutis religiosis quam dignissime celebretur opportunis sermonibus et precibus.

Suis litteris Consilium Pontificii Operis fervidam addit cohortationem Ex.mi Secretarii Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, qua diversarum Gentium necessitates describuntur, excellentia et meritum effertur Apostolatus ad infideles.

Iuvat hic recolere normas a nostris servandas, breviter expositas in epistola Rev.mi P. Praepositi Generalis anno elapso.

« 1) Ubi Ordinarius loci normas peculiare statuerit, easdem, quantum fieri potest, Religiosi quoque nostri servabunt.

« Si nullae ab Ordinario normae statutae fuerint, quae sequuntur servari debent: a) In praecipuis Missis illius diei, collectae pro Missionibus fiant. b) Hora maioris populi frequentiae, concio habeatur, qua fideles hortentur praecipue ad Opus Pontificium pro Missionibus adiuvandum. c) Mane vel vespere, per integram horam SS.mum Euchari-stiae Sacramentum exponatur, et preces fundantur ad mentem Summi Pontificis, additis etiam cum cantu Litanis Sanctorum vel B. Mariae Virginis.

« Pecunias vero omnes ex inscriptionibus Pontificio Operi et ex collectis perceptas ad sedem dioecesanam operis a Propagatione Fidei Superiores mittant simulque Secretarium Generalem Missionum certio-rem faciant de earundem summis, iuxta normam in Ephemeride Congregationis relatum anno 1928, pag. 60, n. 3» (*Acta Congr.*, vol. XI, pag. 133-134).

---

### Archisodalitatis a Passione novae erectiones.

Diplomate diei 1 Junii 1931, Sodalitas nostra erecta fuit in ecclesia S. Petri, loci *Asti*, dioecesis Asten. (Italia).

Item, diplomate diei 5 Junii 1931, in ecclesia S. Mariae, loci S. *Martino Alfieri*, dioecesis Asten. (Italia).

Item, diplomate diei 23 Julii 1931, in ecclesia SS. Quirici et Julitae, loci *Chiavazza*, dioecesis Bugellen. (Italia).

Item, diplomate diei 24 Julii 1931, in ecclesia Sanctorum Omnium, loci *Roncade*, dioecesis Tarvisin. (Italia).

Item, diplomate diei 18 Augusti 1931, in ecclesia Conversionis S. Pauli Apost. et S. Andreae Apost., loci *Maser*, dioecesis Tarvisin. (Italia).

---

### Benefactores cooptati :

In albo Benefactorum Congregationis nostrae, patentibus Litteris R.mi P. Praepositi Generalis, recensiti sunt:

Die 3 Maii 1931, precibus exhibitis ab Adm. R. P. Tiburtio a S. Petro, Praep. Prov. SS. Cordis Jesu, dominus *Theodosius et familia*, loci *Imarcaain*; et dominus *Daniel Izco et familia*, loci *Laviano* (Hispania).

Eodem die, precibus exhibitis ab Adm. R. P. Hemeterio a Nomine Mariae, Prep. Prov. Pretiosissimi Sanguinis, domini *Michael et Vincentia Acero*, loci *Villanueva de la Cueva* (Hispania).

Die 13 Junii 1931, precibus exhibitis ab Adm. R. P. Tiburtio a S. Petro, Praep. Prov. SS. Cordis Jesu, domina *Beatrix Ferrer de Soria*, loci *Miraflores* (Perù).

Die 16 Augusti, precibus exhibitis ab Adm. R. P. Alexandro a S. Lucia, Praep. Prov. S. Familiae, dominus *Raymundus Echevarria*, loci *Habana* (Cuba).



## DEPOSITO CORPORE AD CHRISTUM MIGRAVERUNT

### MONITUM

In exarando nuncio funebri nunquam omittatur: Nomen Congregationis vel Instituti; dies, mensis et annus mortis; nomen loci tam sacrum, quam saeculare; nomen Provinciae; nomen religionis, et saeculi, defuncti vel defunctae; dies, mensis et annus primae professionis.

Nuncium vero, a Rectore domus in qua defunctus morabatur, mittendum est tum ad Secretarium Generalem, tum etiam ad singulos Provinciales, qui tenentur illud transmittere ad omnes Recessus sibi subiectos, necnon ad Moniales et Sorores a Passione, quarum domus intra ambitum cuiusque Provinciae continetur, juxta normas in hac ephemeride alias editas. (*Bollett., an. I, pag. 83*).

15. — *Die 28 Maii 1931*, in Recessu S. Pauli a Cruce, Prov. S. Pauli a Cruce, P. BERNARDINUS A JESU (Martin Dusch), qui, natus anno 1859, vota nuncuparat die 22 Decembris 1878.

16. — *Die 31 Maii 1931*, in religiosa domo S. Mariae (Manchester), Soror MARIA TELIA JOSEPH A S. CORDE (Margarita Mc Auley), quae, nata anno 1872, vota nuncuparat die 5 Januarii 1901.

17. — *Die 20 Junii 1931*. Romae (in Nosocomio), Prov. Praesentationis B. M. V., Frater SERAPHINUS A PRAESENTATIONE (Serafino De Santis), qui, natus anno 1869, vota nuncuparat die 7 Decembris 1901.

18. — *Die 3 Julii 1931*, in Recessu SS. Salvatoris (Romae), Prov. Praesentationis B. M. V., P. DAMASUS A S. ALOYSIO (Giorgio Dell'Uomo), qui, natus anno 1850, vota nuncuparat die 3 Junii 1869.

19. — *Die 7 Julii 1931*, in Prov. S. Pauli a Cruce, P. JOANNES BAPTISTA A CORDE JESU (James Kerr), qui natus anno 1896, vota nuncuparat die 17 Septembris 1918.

20. — *Die 24 Julii 1931*, in Monasterio a Virgine Perdolente (Hispania), Soror MARIA A PRETIOSISSIMO SANGUINE (Basilisa Gonzales Corelejo), quae, nata anno 1901, vota nuncuparat die 16 Julii 1924.

21. — *Die 29 Julii 1931*, Broughton (Anglia), Soror MARIA SERAPHIM A SS. SACRAMENTO (Myers), annorum 74.

22. — *Die 14 Augusti 1931*, in Recessu B. M. V. Dolorum, Prov. SS. Cordis Jesu, Frater ANGELUS A VIRG. DESOLATA (Pedro Esteban Alonso), qui, natus anno 1863, vota nuncuparat die 2 Septembris 1887.

23. — *Die 16 Augusti 1931*, in Prov. S. Patritii, P. HENRICUS A S. PAULO A CRUCE (Edward Ward), qui, natus anno 1874, vota nuncuparat die 28 Maii 1893.

24. — *Die 24 Augusti 1931*, in Recessu S. Gabrielis, Prov. Pietatis, Frater HERMENEGILDUS A S. ALOYSIO (Luigi Jacoppe), qui, natus anno 1864, vota nuncuparat die 9 Novembris 1886.

25. — *Die 30 Augusti 1931*, in religiosa domo S. Pauli a Cruce (Lytham) Soror MARIA WALBURCA JOSEPH A SS. SACRAMENTO (Elizabeth Cardwell), quae, nata anno 1859, vota nuncuparat die 31 Julii 1883.

26. — *Die 14 Septembris 1931*, in Recessu Immaculatae (S. Angelo in Pontano), Prov. Pietatis, P. PAULUS ANTONIUS A SS. CORDIBUS (Angelo Berti), qui natus anno 1878, vota nuncuparat die 18 Junii 1894.



---

*Imprimatur: TITUS A IESU, Praep. Gen.*

P. POLISSENO ORLANDI (P. EMIDIO, Passionista) *Direttore responsabile*

ROMA — *Tipografia Agostiniana* - Via Giustiniani, 15-17 — ROMA



# Acta Congregationis

a SS. Cruce et Passione D. N. J. C.

---

Jesu Christi Passio sit semper in cordibus nostris

---

## EPISTOLA

R.mi Praepositi Generalis de regulari observantia

TITUS A JESU

CONGREGATIONIS A SS. CRUCE ET PASSIONE D. N. J. C.

PRAEPOSITUS GENERALIS

SODALIBUS UNIVERSIS

SALUTEM ET PACEM IN DOMINO.

Septimus iam est mensis ex quo, licet immeritos, ad munus totius Sodalitatis regendae vocavit Nos Deus, qui dispositione mirabili infirma mundi eligit ad maiorem sui nominis gloriam assequendam, « ut non gloriatur omnis caro in conspectu eius » <sup>(1)</sup>; et adhuc in corde nostro resonant voces Sodalium omnium, dicentium Nobis, ore vel scripto, filialis animi benevolentissima sensa. Ipsis omnibus et singulis voluntatem nostram gratissimam hic aperimus, Datorem honorum omnium simul orantes, ut donis optimis ac uberibus eos remuneretur.

Maxime acceptum fuit habere spontaneas, fervidas, frequentes pollicitationes orandi pro Nobis Deum, qui « illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum » <sup>(2)</sup>, et qui operatur in nobis « velle et perficere » <sup>(3)</sup>, ut sua gratia Nos illuminet et confortet, ad recte gubernandam dilectissimam So-

<sup>(1)</sup> 1 Cor. 1, 29.

<sup>(2)</sup> Joa. 1, 9.

<sup>(3)</sup> Philip. 2, 13.

dalitatem nostram. Id ipsum nunc poscimus a vobis, dilecti Filii, quod nempe quotidie in orationibus et sacrificiis memores Nostri sitis: hoc scire animum nostrum valde erigit ac solatur, cum Nos impares sentiamus tanto oneri ferendo. Et Nos quidem, uti iam Ven. Capitulo diximus, vires omnes libenter impendimus in Sodalitatis bonum et incrementum, maxime ut spiritus a maioribus acceptus integer custodiatur ac regularis disciplina vigeat. Qui sit spiritus noster, quo studio servandus saepe ostendit Antecessor noster Leo a S. Corde Jesu, cum in epistolis ad universos Sodales, tum in proximo Generali Capitulo. Et hic Nos Sodalesque omnes, quorum animum interpretamur, occasionem nanciscimur Eidem, optime de Sodalitate nostra merito, atque ob eximias virtutes et res praeclare gestas ad archiepiscopalem dignitatem evecto, maximas habere gratias, cuncta prospera ominantes.

Rem igitur vobis acceptam ac utilissimam facturos Nos esse existimavimus, dilecti Filii, si in hac prima epistola ad regularem observantiam vos paterne hortaremur. Sint verba nostra quasi pignus illius sollicitudinis ac benevolentiae, quam habemus pro vobis.

\* \* \*

Ac primum vocem audire iuvat supremae potestatis ecclesiasticae religiosi sodalibus praecipientis ut suas Regulas fideliter servent. « Omnes regulares — ita Sacrum Concilium Tridentinum — tam viri quam mulieres, ad regulae, quam professi sunt, praescriptum, vitam instituant et componant; atque imprimis, quae ad suae professionis perfectionem, ut obedientiae, paupertatis et castitatis, ac, si quae alia sunt alicuius regulae et Ordinis peculiaria vota et praecepta, ad eorum respective essentiam, necnon ad communem vitam, victum et vestitum, pertinentia, fideliter observent » (1).

Tridentino consentit Jus canonicum, dicens: « Omnes et singuli religiosi, Superiores aequae ac subditi, debent non solum quae nuncuparunt vota fideliter integreque servare, sed etiam secundum regulas et constitutiones propriae religionis vitam componere, atque ita ad perfectionem sui status contendere » (2).

(1) Sess. XXV, de Regular., cap. I.

(2) Can. 593.

Regula autem cuiuslibet Sodalitatis religiosae, ut probe nostis, dilectissimi, eo ipso quod ab Ecclesiae infallibili auctoritate est approbata, atque religiosis sodalibus uti lex datur, vox Dei quodammodo dici potest, quia Dei voluntatem exprimit; idcirco nullum est dubium quin religiosus vir, suae Regulae obediens, quae Deo sunt placita vere faciat. Attamen providentissimus Deus in religiosarum Sodalitatum Regulis condendis plerumque mire operatus est, Patris Legiferi mentem singulari lumine illustrans, ita ut manifesta fieret divina legum origo.

Cogitatio vestra hic sponte fertur in pauperem illam cellam, quae Castellatii templo adiacet S. Caroli, ubi S. Legifer noster abditus per quadraginta dies, ieiuniis et orationibus deditus, Regulas Sodalitatis a Passione conscripsit. Divino autem esse tactum instinctu aperte ipse fatetur his verbis: « Sciant Fratres me tam cito scripsisse, ac si quis in cathedra sedens omnia dictaret. Verba ab imo corde sponte fluebant: haec scribo ut intelligatur omnia ex afflatu singulari Dei processisse; ego enim, quod ad me attinet, non apposui nisi iniquitatem et ignorantiam » (1). Ita fieri potuit ut spatio quinque dierum, a die 2 ad diem 7 decembris anni 1720, Paulus a Cruce, « quin antea ullam notionem de re habuisset aut Regulas aliarum Religionum legisset », (2) codicem illum calamo exciperet, qui admirationi est omnibus, et etiam hodie novus apparet.

Quod si postea S. Legifer quaedam mutavit aut mutari permisit, sui ipsius testimonio mutationes tales non fuere, quae Regularum essentiam attingerent; idemque dici debet de recentioribus mutationibus et additionibus, a S. Sede impositis vel communi consensu Superiorum maiorum Sodalitatis inductis.

Scire igitur, dilectissimi, Regulam nostram divino afflatu esse conscriptam, dum maximam aestimationem animo ingerit, valde etiam incitat ad illam fideliter servandam.

Id ipsum suadent magna bona, quae fidelis observatio Regulae, sive singulis sodalibus sive integrae societati, affert.

Profecto est Regula medium aptissimum perveniendi ad religiosam perfectionem, quam appetimus. Religiosa enim per-

(1) *Lettere*. vol. IV, pag. 221.

(2) *Summar. super virtut.*, n. 11, § 26.

fectio est diligere Deum « quantum potest creatura mortalis, quae a se removet omnia divini amoris impedimenta et totam se Dei obsequio consecravit » (1). Jamvero per tria vota paupertatis, castitatis et obedientiae removentur omnia impedimenta divini amoris, quia, ut ait S. Augustinus: « Venenum caritatis est cupiditas, perfectio nulla cupiditas », simulque totos nos tradimus Deo, animum per obedientiam, corpus per continentiam, res externas per paupertatem; idcirco convenienter dicitur in his tribus votis consistere Religionis perfectionem. Sed Regulae eo tendunt, ut diversis Sodalitatibus religiosis, pro cuiusque natura, trium votorum materiam determinent et explicant, atque si alia addunt, haec etiam quodammodo dirigunt ad vota principalia implenda, ut bene probat Angelicus Doctor: « Omnes aliae religionum observantiae ordinantur ad praedicta tria principalia vota » (2).

Cum igitur vocaverit nos Deus ad curriculum perfectionis emetiendum in hac humili Sodalitate, pro certo habeamus, si Regulam nostram integre fideliterque servaverimus, perfectionem illam nos esse assecuturos, quam nobis Deus sua infinita, benignitate praestituit. Regula ipsa docet, aiendo de suis praeceptis: « media validissima et opportuna habentur ad christianam perfectionem in hoc vitae statu, quem delegerunt, assequendam » (3).

Et nunc quis enarrare possit intimam cordis laetitiam, qua fruitur religiosus sodalis, suae Regulae obtemperans? Dulcis est Dominus ac fons totius consolationis; ei igitur inhaerendo per sanctissimae legis diligentem custodiam, repleatur necesse est animus pace et gaudio coelesti. Tunc ex ore sponte fluunt ille verba: « Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te » (4). Dicat nobis aliquid Gabriel a Virgine Perdolente, qui hilari vultu, suavi eloquio, scriptis quasi melle perfusis, sui cordis dulcedinem semper revelabat. « Gaudium et laetitia — ita scribebat — quibus fruor intra haec sacra septa nullimode comparari possunt cum vanis

(1) S. Robertus Bellarminus, de Monachis, lib. 2, cap. 2.

(2) Summa theol., 2, 2. q. 186, a. 7, ad 2.

(3) Regulae, n. 320.

(4) Psalm. 30, 20.

et levibus mundi oblectamentis..... Mihi vivere est perpetuo laetari... Vita mea, ut sodalis a Passione, est vita dulcis, vita pacis, vita laetitiae. O quam dulce servire Deo! » (1).

Haec intima pax sodalium redundat in integram domum religiosam, ubi regnat ordo et tranquillitas, ita ut videatur quasi paradisi vestibulum. In ea enim Superiores de bono subditorum sunt maxime solliciti, subditi autem Superioribus obsequentes; fraterna caritas omnium animos coniungit; silentium, quod, ut verbis utamur S. Patris nostri Legiferi, « est clavis aurea custodiens thesauros sanctarum virtutum », (2) non rumpitur inutilibus verbis, multo minus obtreccatione aut censura; unusquisque diligenter suo muneri incumbit, atque omnes alacres conveniunt in chorum ad orandum sive laudandum Deum diu noctuque.

Quid mirum si profani, domum religiosam invisentes, maxime aedificentur? Ita revera accidisse apud maiores nostros memoriae testantur. « E sancta vivendi ratione — legimus — primorum sodalium illorum oriebatur in exteris magna aedificatio. Cum isti ad recessus accederent, magna admiratione afficiebantur, animadvertentes angelicam modestiam, vitam solitariam et silentem religiosorum, audientes eos devote concinentes divinas laudes, inspicientes munditiam et nitorem ecclesiae rerumque sacrarum. Quidam, pluribus diebus hospitio excepti, non intelligebant quomodo tam altum silentium servari posset, ita ut domus videretur habitatoribus vacua » (3).

Diligentem autem Regularum observantiam maxime prodesse apostolico muneri est luce clarius, dilectissimi. Animarum enim conversio et sanctificatio non est opus humanae industriae, sed gratiae Dei, qui prae ceteris illos operarios adhibet, quos vitae sanctitas aptiora efficit instrumenta ad gratiae thesauros dispensandos. Insuper cum exempla multo magis valeant quam verba, quia, ut ait Seneca, homines amplius oculis quam auribus credunt, ideo exemplum vitae omni virtutum genere ornatae, quod in sacro oratore conspiciatur, valde excitat auditorum animos ad virtutem. Rem optime explicat S. Bernardus.

(1) P. GERMANO, *Vita di S. Gabriele dell'Add.*, cap. 8.

(2) *Lettere*, vol. IV, pag. 268.

(3) *Memorie dei primi Compagni di S. Paolo della Croce*, pag. 9.

dicens: « Sermo vivus et efficax, exemplum operis est, plurimum faciens suadibile quod dicitur, dum monstrat factibile quod suadetur » (1). Haec est ratio cur omni tempore sancti sacerdotes plurimos homines perditos ad Christum revocarunt aliosque multos in sanctitatis palaestra mire excoluerunt. Et uberrimos quidem fructus e sacris expeditionibus collectos fuisse a S. Patre nostro Legifero suisque fidelibus discipulis, viris sanctissimis, nemo est qui ignoret.

Nostis auream illam sententiam, quam, precibus cedens Patris nostri, protulit S. Leonardus a Portu Mauritio, divino nempe praeconi opus esse animum bene compositum. Jamvero animus componitur, seu virtutibus ornatur, per regularem disciplinam: en igitur optima praeparatio ac dispositio ad munus apostolicum fructuose obeundum.

Nec putent se non esse participes laborum ac meriti praecorum divinatorum sodales religiosi, qui in sacris recessibus vitam solitariam degunt: ipsi enim orationibus, voluntariis corporis afflictationibus, officiorum suorum perfecta custodia, validum praebent auxilium praecombus, ad exemplar Moysis, qui cum in monte oraret obsecraretque Deum, manibus ad coelum elatis, populo suo in proxima planitie cum Amalecitis dimicanti victoriam impetrabat. Quam comparisonem ipse SS. mus D. N. Pius XI adhibet, ut vitam contemplativam Cartusianorum praedicet; immo haec addit gravissima verba: « Facile intelligitur, multo plus ad Ecclesiae incrementa et humani generis salutem conferre eos, qui assiduo precum macerationumque officio funguntur, quam qui dominicum agrum laborando excolunt; divinarum enim gratiarum copiam nisi in agrum irrigandum illi e coelo deducerent, iam evangelici operarii sane tenuiores e labore suo fructus perciperent » (2). Hinc magis magisque apparet, dilecti Filii, quanti aestimare debeatis exercitationes vitae contemplativae, quibus operam datis in solitariis domibus.

Aliam demum omittere nolumus causam, ut Regularum observationem commendemus, magnam dicimus laudem quae exinde Sodalitati nostrae consequatur. Revera quid optabilius in laudem alicuius religiosae Sodalitatis dici potest, quam affirmare fidelem eam permanere suae Regulae, licet obstare vi-

---

(1) *Sermo de S. Benedicto.*

(2) *Acta Ap. Sedis*, vol. XVI, pag. 389.

deantur temporum vicissitudines, hominum malitia, aliaque diversi generis exsurgant impedimenta? Quam laudem gestiendi animo tribuit monachis Cartusianis idem Summus Pontifex Pius XI, dicens: « In comperto est Conditoris sui Patrisque Legiferi spiritum Cartusienses ita, novem paene saeculorum decursu, retinuisse, ut, contra atque aliis Sodalitatibus contigit, nulla Ordo, tam diuturno temporis spatio, emendatione seu, ut aiunt, reformatione indiguerit..... Quantum autem spei exspectationisque Sodales Cartusienses de se Nobis commoveant, dicere vix attinet; siquidem, cum legi Ordinis propriae non tam accurate quam generoso quodam animi impetu parcant, eiusdemque observatio legis facile ad altiorem sanctitatem animos conformet, fieri nequaquam potest, quin religiosi ii viri apud miserentissimum Deum validi pro populo christiano deprecatores fiant atque existant » (1).

Nostra autem quod attinet, si humilis Sodalitas a Passione hodieque tanta gaudet aestimatione apud christifideles, apud Antistites, apud ipsos Pontifices Maximos, nonne debetur perspectae diligentiae, studio, animi firmitati Sodalium, praesertim maiorum nostrorum, in regulari disciplina? Ita impleri visum est quod moriens praedixit dulcissimus Pater et Legifer noster, cum sodales omnes hortaretur ut inviolatum custodirent spiritum orationis, solitudinis et paupertatis: « Si huiusmodi spiritus permanebit, Sodalitas nostra fulgebit sicut sol in conspectu Dei et coram gentibus, et in perpetuum » (2). Equidem spiritus cuiusque Sodalitatis religiosae in suis Regulis continetur; proinde Regulas perfecte servando, ipse spiritus integer custoditur.

\*  
\*  
\*

Commemoravimus, dilectissimi, praecipuas rationes, quae ad regularem observantiam urgendam aptiores videntur; sunt illae: auctoritas Ecclesiae id praecipientis, vox Dei loquentis per Regulas Patri Legifero a se inspiratas, magna bona inde manantia, scilicet religiosa perfectio, pax animi et domorum tranquillitas, aliorum salus, honor totius Sodalitatis. Quid Nobis

(1) *Ibid.*, pag. 388 sq.,

(2) *Summar. super introd.*, n. 27, § 81.

restat nisi ut adhortemur vos toto cordis affectu, ut Regulam sanctam, quam a S. Patre Legifero accepistis atque libenti animo coram Deo servare promisistis, integre, diligenter, constanter servetis? « Rogamus vos — iterum dicimus, verbis Apostoli utentes — et obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis... quomodo oporteat vos ambulare et placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis ». (1) Placet etiam verba recollere sancti Pontificis Pii X ad Patres Sodalitatis nostrae, qui anno 1914 generalia comitia habuerant: « Regulam vestram servate, nam in Regula est ordo, in ordine pax, in pace Deus, in Deo omnia bona ».

Ut autem sedulo caveatis, dilecti filii, quae magis ducunt ad regularem disciplinam dissolvendam, tria vobis praesertim commendata volumus, nempe *curam de rebus minimis, mundi contemptum, Superiorum vigilantiam*.

Nemo igitur ex vobis hoc vel illud praescriptum parvipendat aut negligat, praetendens de re agi levis momenti: omnia siquidem mandata, etiam minima, ab eadem suprema Ecclesiae auctoritate data sunt, atque ad religiosam perfectionem consequendam mire conspirant. Insuper, sicut nemo repente fit pessimus, ita nulla religiosa Sodalitas in regularis disciplinae relaxationem incidit, nisi pedetentim a minoribus praeceptis ad maiora negligenda progrediens. Docent Scripturae sacrae: « Qui spernit modica, paulatim decidet »; (2) « qui fidelis est in minimo, et in maiori fidelis est; et qui in modico iniquus est, et in maiori iniquus est » (3). « Omnes proinde sinceris ac simplicibus oculis (Regulas atque Constitutiones) legant, humiliter simul ac simplici corde implere studeant, privatim non interpretentur, ad examen non revocent, nec arbitrio explacent » (4). Exemplo sit vobis quod de primis sodalibus nostris legimus: « Dici nequit in quanto honore Regulam sanctam habuerint. Quaecumque oborta quaestione de re sive facta sive facienda, satis erat dicere: ita Regula praecipit, ut omnis absolveretur quaestio » (5).

(1) 1 Thess. 4, 1.

(2) Eccli. 19, 1.

(3) Luc. 16, 10.

(4) Regulae, n. 321.

(5) Memorie dei primi Compagni di S. Paolo della Croce, pag. 7.



Animum deinde habete, dilectissimi, abstractum et alienum a rebus terrenis. Non inepte quis dixerit mundi contemptum esse fundamentum Sodalitatis nostrae, quo proinde sublato, totum aedificium corruat necesse est. Ideo S. Legifer noster aiebat primam notionem a Deo acceptam Sodalitatis condendae hanc fuisse: congregare viros abstractos a rebus omnibus, ut Deo inhaerent; propterea spiritum Sodalitatis nostrae esse spiritum orationis, solitudinis et paupertatis, ita ut, eo amisso, Sodalitas nec progredi nec vivere posset. Ipsa nominis familiae mutatio atque moestus ritus, apud nos adhibitus, vestiendi Fratres et profitendi voia, ut plura Regulae mandata omittamus, nonne aperte significant Sodalem a Christi Passione debere mundo esse mortuum, ut soli Deo vivat? Vos itaque alloquamur verbis Apostoli: « Mortui estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo » (1). Gloria vestra sit posita in cruce Christi, ita ut cum eodem Apostolo unusquisque dicat: « Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo » (2). Quod si omnibus religiosis sodalibus maxime nocet amor mundi, seu humanae vitae commoda, delicias, honores quaerere, cum haec divino amoris prorsus opponantur, speciatim tamen nocet Sodali a Christi Passione, qui ad humillimam et asperrimam vitam sectandam vocatus est. Summa quidem diligentia uti oportet, ne in animos vestros perversus mundi spiritus se insinuet.

Hoc iam monebat Benedictus PP. XV in suis Litteris Apostolicis ad Antecessorem nostrum Silvium a S. Bernardo, datis ob memoriam iterum saecularem Sodalitatis conditae. Postquam enim notaverat Gabrielem a Virgine Perdolente non alia via ad sanctitatis fastigium pervenisse, quam regularis disciplinae observantia, ut appareat in nostro vitae instituto absolutissimam virtutum scholam Sodalibus patere, ita pergebat: « Jam id ipsum est argumento vigere etiamnum apud vos *spiritum bonum* a legifero patre vobis traditum: quod Nos equidem valde gratulamur. Sed hanc pulcherrimam hereditatem ut hodie integram conservetis, quanta vobis vigilantia, quantaque contentione animi opus est. Inimicissima, si qua unquam, humilitati

(1) Col. 3, 3.

(2) Gal. 6, 14.

poenitentiaeque christianae, in quibus praecipue vestra vivendi ratio consistit, haec sunt tempora; superbia enim vitae et inexplebilis voluptatum sitis usquequaque dominatur adeo ut, tamquam corrupto eo, qui circumfusus est aer, difficile sit vel religiosis cordibus nihil de huius pestilentiae contagione concipere » (1).

Magna utique vigilantia et animi contentione opus est, dilectissimi, vigilantia praesertim Superiorum; ipsi enim sunt vineae custodes et pastores gregis. Ideo Superiores vehementer hortamur ut vigilant, summa cum sollicitudine Regularum observationem promoventes. Revera quando Superior vigilat, seu quando ipse est universae familiae, cui praeest, lux et exemplum; quando sedulus Regulas implet curatque diligenter ut alii pari studio exequantur; errantes negligentesque paterne, suaviter, prudenter corrigit et admonet; culpas plectit, disciplinae studio charitatem coniungens (2): tunc in religiosa familia ordo et observantia viget; si vero Superior facile se aliosque eximat Regularum praeceptis, si de subditorum culpis taceat, si numquam audire faciat vocem suam pastoris ac patris: tunc certe regularis disciplina dissolvatur oportet. « In hoc enim differunt — ait S. Bonaventura — laudabiles Religiones et iam dilapsae non quod nullus peccans in laudabilibus reperiatur, sed quod nullus impune peccare sinatur, et peccandi aditus studiose praeccludatur, et incorrigibiles et alios inficientes eliminentur, et boni foveantur et diligentur, ut perseverent et in melius semper proficiant » (3). Hinc docet S. Alfonsus de Ligorio Superiores graviter peccare, si negligent leves defectus subditorum corrigere, « casu quo defectus plures sint et tales (v. gr. circa silentium, ieiunia etc.) ut disciplinam valeant relaxare. Ratio, quia licet quisque religiosus deficiat in re levi, levem regulam transgrediendo; Superior tamen negligens impedire, cum possit, observantiae relaxationem, deficit in re gravi. Et ideo tenetur defectus subditorum in damnum totius communitatis vergentes, non solum corrigere, sed etiam inquirere ut corrigat » (4).

(1) *Bollettino*, 1920, pag. 132 sq.

(2) *Regulae*, n. 280.

(3) *De sex alis Seraphim*, cap. III.

(4) *Theol. mor.*, lib. IV, n. 13.

Nos pro certo habemus a Superiorum vigilantia maxime pendere diligentem Regularum observationem, propterea iterum atque iterum eos cohortamur et obsecramus ut vigilant super gregem suum, ob oculos semper habentes sive quae Regulae nostrae Superioribus praescribunt, praesertim in capite XXXI, sive quae Pater Legifer noster domorum Rectoribus mandabat in epistola data die 4 mensis maii anno 1761. Grave est sane Superiorum munus, severa exquiretur ab eis ratio a Christo iudice, ut clare docet Scriptura: « Iudicium durissimum, his qui praesunt, fiet » <sup>(1)</sup>; erigant tamen animum, cogitantes se cum Christo communicare munus pastoris, ideoque Christi gloriae singulari modo futuros esse participes. Ait enim Apostolorum Princeps pastoribus Ecclesiae: « Pascite qui in vobis est gregem Dei..... forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam » <sup>(2)</sup>.

Si igitur vos omnes, dilecti Filii, res etiam minimas in Regularis praescriptas servetis, si abstractum habeatis animum a rebus caducis, si Superiores vigilant, spes Nobis affulget fore ut regularis disciplina in suo pristino vigore permaneat. Revera, ut historia satis probat, ex hoc triplici neglecto capite repeti debet, si plures religiosae Sodalitates, olim virtute florentissimae, temporis decursu dilapsae sunt, atque etiam eo devenerunt, ut vel senescentibus viribus interirent, vel prorsus nativam suam formam amitterent.

At certe deficeret exhortatio nostra, si ad Statuta etiam regularia et Consuetudines servandas vos non incitarem, quippe quae cum Regularum observatione intime nectantur. Statuta enim regularia, iudicio S. Patris Legiferi, sunt Regularum custodia et perfectio <sup>(3)</sup>; Consuetudines autem applicant Regularum spiritum ad casus particulares, quos Regulae non tangunt, secundum probatam et constantem praxim maiorum nostrorum. « Cum istae — ait sanctae memoriae Decessor noster Bernardus M. a Jesu in prooemio sui operis de Consuetudinibus apud nostros vigentibus — magnam partem indu-

<sup>(1)</sup> Sap. 6, 6.

<sup>(2)</sup> 1 Petr. 5. 2-4.

<sup>(3)</sup> Regolamenti. prefazione.

ctae sint a S. Patre Legifero et ab eius primis sodalibus, spectatae pietatis viris, fieri non potest quin spiritum illum referant, quo idem Pater repletus erat, et quem tot laboribus transfundere studuit in Sodalitatem suam » (1).

Recte affirmatur Regulas, Statuta regularia, Consuetudines una simul absolutissimam exprimere imaginem Sodalitatis a Passione, qui Patrem suum Legiferum imitari velit, uti hortatur SS. mus D. N. Pius XI in Epistola Apostolica ad summos Moderatores Sodalitatum religiosorum virorum, dicens: « Ac primum omnium religiosos viros cohortamur, ut suum quisque Conditorum Patremque legiferum in exemplum intueantur, si velint gratiarum, quae e sua ipsorum vocatione proficiscuntur, certo esse copioseque participes..... Quare eo sodales, optimorum instar filiorum, curas cogitationesque convertiant, ut Patris legiferi honorem tueantur, eius cum et praeceptis et monitis obsequendo, tum imbibendo spiritum: neque enim statu suo decident usque dum Conditoris sui vestigiis institerint » (2).

His omnibus officiis implendis mirum non est, dilectissimi, si quid asperum vel proprii ingenii contrarium inveniatis; at memineritis vestrum esse verbo et exemplo praedicare in gentibus « Jesum Christum et hunc crucifixum » (3); memineritis mundi contemptum et carnis mortificationem nostrae aetati maxime convenire, in qua homines, perituras res vitaeque huius oblectationes unice quaerunt; memineritis « quam ingens sit ille bonorum omnium perpetuorum thesaurus, quem veris sectatoribus suis Christus impertitur » (4). Det Nobis Deus optimos nuntios accipere de vobis omnibus, quod nempe viam perfectionis alacres curratis, S. Patris Legiferi vestigiis inhaerentes. Ita fiet ut Sodalitas nostra, quasi arbor magna in universum orbem ramos pro tendens, semper virescat ac flores virtutum afferat ubique, viros dicimus sanctitate praeclaros, quales inter plurimos fuerunt, ad haec usque tempora, post Patrem Legiferum, germanus eius frater Joannes Baptista a S. Michaeli Archangelo, Fulgentius a Jesu, Jacobus a S. Aloisio, B. Vincentius M. Strambi, S. Ga-

---

(1) *Raccolta delle consuetudini*, ed. 1920, pag. 8.

(2) *Act. Ap. Sedis*, vol. XVI, pag. 135.

(3) *1 Cor.* 2, 2.

(4) *Regulae*, n. 35.

*briel a Virgine Perdolente, Ven. Dominicus a Matre Dei, Laurentius a S. Francisco Xaverio, Carolus a S. Andrea, Pius a S. Aloisio, Galilaeus Nicolini, Joannes a Spiritu Sancto, Bernardus M. a Jesu, quorum nomina memorare volumus non tantum honoris causa, sed praecipue ut aemulationem vestram provocemus.*

Dilectissimi Filii, nemo non videt quanta sit praesentis temporis iniquitas: in aliis enim gentibus religiosi sodales vix tolerantur, in aliis iniustae persecutioni subiiciuntur, in aliis contra ipsum Deum fit bellum, ut, si fieri posset, nomen eius adorabile e terra deleatur; ubique autem impiae doctrinae divulgantur, quae doctrinis evangelicis omnino repugnant. Accedit quod asperrimum rei oeconomicae discrimen non parum difficilem reddit nostram vivendi rationem, in arctissima paupertate positam. Res igitur si humanis oculis aspiciamus, multa est nobis causa timendi. Attamen in spem bonam erigimur, cum res oculo fidei intuemur. Scimus enim in manu omnipotentis Dei esse universa, ab eoque dirigi mira cum providentia. Quam pulchre hoc confitebatur piissimus Mardocheus, dicens: « Domine, Domine, rex omnipotens, in dictione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuae resistere voluntati » (1). Scimus Ecclesiam Dei saepe adversa tempestate iactari, vocem tamen Christi audimus: « Quid timidi estis, modicae fidei? » (2). Scimus fidelissimum esse Deum in suis promissis, nec derelinquere servos suos qui speraverunt in eo: « Nullus speravit in Domino, et confusus est » (3).

Itaque ex temporum iniquitate ansam potius sumite ad serviendum Deo summa cum diligentia, « omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis » (4); et Deo acceptissimi eritis, simul advocantes super vos ac super alios coelestia bona.

Placet hanc epistolam claudere verbis Patris nostri Legiferi: « Dum Nos in Sacrario dulcissimi Christi Jesu aperti La-

(1) *Esth.* 13, 9.

(2) *Mat.* 8, 26.

(3) *Eccli.* 2, 11.

(4) *1 Petr.* 5, 7.

teris, eiusque et nostrae amantissimae Matris Mariae dolorosissimo Corde vos omnes reponimus, custodiendos, castissimo paterni amoris affectu precamur, ut *ipse Deus pacis sanctificet vos per omnia* <sup>(1)</sup>, *et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu* <sup>(2)</sup>. *Fiat, fiat* » <sup>(3)</sup>.

Optamus ut haec nostra epistola, in linguam vernaculam translata, publice in triclinio legatur.

Datum Romae, ex Recessu SS. Joannis et Pauli, die 21 Novembris 1931, in festo Praesentationis B. M. V.

TITUS A JESU, *Praepositus Generalis*.

PETRUS A PRET.MO SANGUINE, *Secretarius*.

---

## II.

EPISTOLA R. MI PRAEPOSITI GENERALIS AD SINGULOS PROVINCIARUM  
PRAEPOSITOS MISSA, DE LECTORUM PRIVILEGIIS.

*Adm. Rev. Pater,*

Post feliciter inventas mutationes, ad sensum Codicis Juris Canonici, circa numerum Lectorum qui singulas scholasticas disciplinas tradant, non semel quaesitum fuit utrum singuli Lectores adhuc iisdem privilegiis fruuntur quibus fruebantur ante Codicem editum.

Eadem quaestio mota etiam fuit in postremo Generali Capitulo: at eiusdem solutionem Patres ad Curiam Generalem demandarunt.

Propterea die 15 Octobris huius anni, coacto Consilio, quaestionem diligenti examini subiecimus et, rebus omnibus perpensis, unanimique voto, sequentes editae sunt *normae servandae* donec prodierint nova *Statuta* (Regolamenti), quae, ex Capituli Generalis mandato (Decreto 4), edi debent latino sermone:

---

(1) *1 Thess.* 5, 23.

(2) *Philip.* 4, 7.

(3) *Lettere*, vol. IV, pag. 249.

1) Lectores qui per omnem hebdomadam, saltem semel in die, docent, privilegiis fruuntur, quae in nn. I, 11; II, 274 Statutorum prostant.

2) Lectores vero qui tantum aliquibus vicibus docent, iisdem privilegiis utantur solummodo diebus quibus scholasticas materias tradunt.

Rogamus igitur ut has Normas Lectoribus Tuae Provinciae notas facias, Tibique omnia fausta a Domino ominamur.

Romae (147), ex Recessu SS. Ioannis et Pauli, 20 Octobris 1931.

TITUS A JESU, *Praepositus Generalis.*

## Communicationes R.mi Praepositi Generalis.

### I.

Communicare volentes, iuxta preces Nobis exhibitas, quaedam bona spiritualia iis, qui sive pecunia sive scriptis vitam alunt ephemeridum a nostris editarum, atque ita efficaci modo concurrunt ad cultum promovendum Dominicae Passionis, statuimus ut cum socii (vulgo *abbonati*) tum benevoli scriptores (vulgo *collaboratori*) fructum participant Missarum quae in festis secundae classis canuntur pro Benefactoribus nostris viventibus; et post mortem tam ipsi quam eorum consanguinei suffragia percipiant ex Missa et Officio, quae initio cuiuslibet mensis defunctis Benefactoribus applicantur.

### II.

Deficientibus in variis locis Missarum intentionibus, compellimur renovare mandatum ad Nos mittendi omnes Missarum intentiones, quae Provinciarum necessitatibus supersint, ut aliarum Provinciarum vel Missionum inopiae occurrere possimus.

### III.

Dilectis omnibus Sodalibus nostris, adveniente D. N. J. C. Nativitate, omnia fausta adprecamur.

TITUS A JESU, *Praep. Generalis.*

## MONITUM

DE MISSIS BINATIS PRO MISSIONIBUS NOSTRIS.

Indultum recipiendi stipendium ex Missis binatis in favorem Missionum nostrarum, ad triennium concessum, die 14 novembris currentis anni cessavit, nec, ob superiores dispositiones omnibus communes, renovatum fuit.

---

## EX ACTIS APOSTOLICAE SEDIS

---

SOLEMNIS PROMULGATIO HEROICARUM VIRTUTUM  
SERVAE DEI GEMMAE GALGANI  
VIRGINIS LUCENSIS.

Die 29 superioris mensis novembris, prima dominica sacri Adventus, SS. mus Dominus Noster Pius PP. XI legi iussit decretum de heroicis virtutibus Servae Dei Gemmae Galgani. Ad hunc finem SS. mus Pater hora 11 ante meridiem in aulam Ducis aedium Vaticanarum se contulit, et, summo plausu exceptus ab adstantium multitudine, sedit in Throno. Eum comitabantur Praesules domus pontificiae, Cubicularii aliique de Curia, necnon Protectores lateris Dominici (vulgo *Guardie Nobili*) atque excubiae Helveticae militiae.

Aderant iam in aula Patres Cardinales Camillus Laurenti, Praefectus S. Rituum Congregationis, et Ianuarius Granito Pignatelli di Belmonte, Causae Ponens seu Relator; Officiales S. Rituum Congregationis, seu R. mi Alfonsus Carinci, Secretarius; Salvator Natucci, Fidei Generalis Promotor; Aloisius Traglia, Adsector et Fidei Generalis Subpromotor; Henricus Dante, Substitutus. Aderant etiam Exc. mi ac Rev. mi Antonius Torrini, Archiepiscopus Lucensis; Ludovicus Cattaneo, Episcopus Asculanus in Piceno; Alfonsus Gaudron, Episcopus Ebroicensis; R. mus P. Titus a Jesu, Praepositus Generalis Sodalitatis nostrae cum tota Curia Generali, R. P. Aegidius Joseph a SS. Cordibus, Postulator noster Generalis, complures Praelati et sacerdotes, praesertim e dioecesi Lucensi, Ill. mus Dom. Matthaeus Giannini eiusque quinque filii, et, felici sorte, etiam filia, Mater Gemma, Sancti-



monialis a Passione; multi Sodales nostri ex utroque Recessu de Urbe, totaque aula erat multitudine referta.

Cum accessisset ad Thronum Pontificis R. mus Alfonsus Carin-  
ci, Eius assensu habito, Decretum legere coepit.

## DECRETUM

LUCEN. IN ITALIA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

SERVAE DEI

GEMMAE GALGANI

VIRGINIS SAECULARIS

SUPER DUBIO

*An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum tum in proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine, earumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur.*

Ineffabili divinae misericordiae oeconomia fieri conspici-  
mus, ut, quo magis mundus, qui *totus in maligne positus est* (I Io., 5, 19), homines impie a Deo avertit et ad terrena, mo-  
rum corruptione, deprimit, eo magis ex Ecclesiae sinu lectis-  
simi filii exurgant, qui, angelicis viventes moribus, quasi fra-  
grantia lilia *Christi bonus odor effecti*, vitae potius exemplo,  
quam verbo, mundi pravitatem redarguant, errores profligent,  
et ad vitae sanctitatem instaurandam homines impellant.

Inter hos Serva Dei GEMMA GALGANI merito recensetur,  
*cuius ne nomen quidem vacuum laudis est* (S. Ambr., de Virg.,  
l. 1).

Orta est die 12 Martii anno 1878 in oppido Camigliano non  
longe a Lucensi urbe, ex piis honestisque parentibus Henrico,  
de genere B. Ioannis Leonardi, et Aurelia Landi, atque inse-  
quenti die in parochiali Ecclesia, S. Michaeli Archangelo dicata,  
sacro baptismate est abluta, et GEMMA vocata.

A piissima matre prima religionis et pietatis rudimenta  
aeque ac virtutum germina, praecipue vero amorem erga Iesum  
crucifixum, ita alte animo accepit; ut iam a tenella aetate in  
Christi Domini meditandam immo et contemplandam passionem  
inexplebili desiderio traheretur.

Pater tantam infantulae pietatem, obedientiam, animi candorem ac tam angelicam modestiam, ut vel ipsius patris blandimenta et oscula devitaret, tacitus admirans, peculiari eam supra ceteros septem filios prosequeretur amore, et de ea magna portendebat. Lucam Henricum cum familia se transtulit, ubi GEMMA septennis die 26 Maii anno 1835 Confirmationis sacramentum accepit. Paucos post menses orbata matre, puellula traditur educanda et litteris instruenda Helenae Guerra, quae Instituti Oblatarum Spiritus Sancti, vulgo Sororum Sanctae Zitae, Fundatrix fuit. Ea magistra, miros non solum in litteris addiscendis, sed et in pietate progressus fecit. Tam vehementer autem ad eucharisticum panem accipiendum anhelabat admitti ut prae desiderio deficere videretur. Voti compos mox facienda decem voluit praemittere dies, spiritualibus apud S. Zitae Sorores exercitationibus vacatura: quos dies tum in contemplanda dilecti sui passione, tum in recolenda mira animae cum Christo in eucharistico mysterio supernaturalis vitae communione, totos insumpsit: die autem 17 Iunii anno Domini 1887, qua Sacratissimi Cordis Iesu sollemnia celebrabantur, ineffabili animi gaudio angelico pane primum refecta, suum explevit desiderium. Intensiori exinde in virtutes proficiendi studio exaestuans, arduas, divino Magistro duce, perfectionis semitas animosa arripuit.

Quum sanctorum vitam sigillo crucis necesse sit notari. totus GEMMAE mortalis vitae cursus doloribus fuit repletus. Vere de ea dici potest fuisse *lilium inter spinas* (*Cant.*, 2, 2): lilium suavem virtutum effundens odorem inter multiplices tribulationum spinas, quae eam undequaque perstrictam dire pupugerunt. Re quidem vera pater eius, variis calamitatibus in egestatem redactus, et immatura morte praereptus, in summa paupertate filios reliquit. GEMMA in Deo tantum confisa parentis excessum et suorum bonorum iacturam forti pertulit animo. Vicennis gravissimo fuit morbo ad mortem usque tentata, a quo ut videtur, non naturali modo convaluit. Attamen licet mortis faucibus tunc erepta, et officiis suis quadantenus reddita, iugibus adhuc, iisque acerbissimis vexabatur doloribus, quos inexplebili animi voluptate, veluti pretiosa Christi dona, amplexabatur, sive ut similior suo caelesti Sponso fieret, sive ut pro

peccatoribus ab aeterna morte praeservandis debitas divinae iustitiae poenas generosa lueret.

Anno 1900 a piissima familia Giannini, quasi filia, humaniter fuit recepta. In novo hoc domicilio ad vacandum spiritualis vitae exercitiis liberior facta, toto animi ardore in contemplanda Christi passione se dedit: quin immo desiderium iampridem conceptum se Deo vovendi inter sacras Virgines a Passione Domini nuncupatas, quae Conditorem suum habent S. Paulum a Cruce, vehementius persensit. Ast divino consilio factum est ut pluribus difficultatibus eius voto adimplendo adversantibus, ipsa in saeculo, praeter voluntatem, vivens, mirandum religiosae vitae spectaculum mundo redderetur. Non enim ideo minus GEMMA S. Pauli a Cruce spiritum hausit, quem veluti eius sanctitatis ducem ac magistrum merito dixeris. Porro qua aetate falsa encyclopaedistarum, quos dicunt, philosophia mentes aequae ac mores hominum a christiana disciplina devios novo impetu agebat, teterrimam illam praemoliens rerum conversionem, quae tot clades Ecclesiae ac civili Societati postea intulit, novus hic Paulus vexillum Crucis, ceu victoriae signum, sursum sublime efferens, apostolica voce late intonuit, ut ruenti in praiceps mundo, praedicaret *Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis, Iudaeis atque Graecis, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* (I Cor., 1, 23-24). Quam ille praedicationem sanctissimo vitae suae exemplo comprobans, vere de se cum Apostolo dicere poterat: *Christo confixus sum Cruci; vivo autem iam non ego: vivit vero in me Christus* (Gal., 2, 19-20).

Hoc autem erga Christi passionem flagrans caritatis studium, quod ille legifer Pater filiis, filiabusque suis in sacram hereditatem reliquit, purissimae Lucensis virginis animum totum incendit vividamque et ipsa in se Christi Crucifixi imaginem expressit, carnem, monente Paulo, crucifigens cum vitiis et concupiscentiis suis. Omnes devios naturae motus fortiter compevit; unde in ea profundissima humilitas, summa et voluntaria paupertas, mundi omnium oblectamentorum despectus, angelica puritas, ingenua animi simplicitas, perfectissima obedientia, filialis in Deo sine limite fiducia, mira aequanimitas vel erga illos qui acerbe eam tractabant, ac praesertim vehementissima in Deum et proximum Caritas. Filiali prorsus beatam Vir-

ginem Dei Matrem prosequatur amore, eique sub Cruce Domini perdolenti se in planctu sociare vehementer optabat. Praeter alios Sanctos, Angelum quoque sui Custodem peculiari devotione colebat, ut aemula cum eo puritate mereretur nitere; et in terris quidem corpore degebat, sed animo eius conversatio in caelis erat: eo enim caritatis fervore innocentissima puella ferebatur in Deum, ut iam veluti corporei gravaminis experta, caducis omnibus mundi rebus videretur extranea. Iamque ad aeterna tabernacula properabat. In pervigilio Dominicæ Resurrectionis, die 11 Aprilis anno 1903, post acerbissimos in similitudinem patientis Christi toleratos animi corporisque cruciatus, amore in Deum magis quam morbo consumpta, ad caelestem evolavit Sponsam.

Super sanctitatis fama septem post annos ab eius obitu in Lucensi Curia constructus est processus. Peracti quoque rite processus sive super scriptis sive super non cultu. Servato iuris ordine Commissionem Introductionis causae die 28 Aprilis anno 1920 Benedictus XV fel. rec. sua manu signare dignatus est: decreta quoque approbationis scriptorum et super non cultu fuerunt edita. Apostolicus processus super virtutibus Pisis fuit confectus, et Antepaeparatoria comitia coram R.mo D. Cardinali Ianuario Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopo Albanensi, Causae Ponente seu Relatore die 28 Iunii anno 1927 fuerunt habita: Praeparatoria vero ad Vaticanas aedes die 24 Aprilis anno 1928: Generalia demum coram SS.mo D. N. Pio Papa XI die 4 Decembris anno 1928. In quibus R.mus D. Cardinalis Relator dubium proposuit discutiendum: *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum tum in proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine, earumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur.* Porro qui convenerant tum Patres Cardinales, tum officiales Praelati et Consultores suum quisque protulerunt suffragium; verum Sanctissimus Pater in re tanti momenti suum iudicium proferre distulit eo fine ut Sibi aliisque divini luminis implorandi copia suppeteret.

Hanc vero diem, Dominicam primam Adventus, quo sacro tempore ad praeparandas vias Domini cordis puritate et dignis poenitentiae fructibus invitamur, feliciter elegit ut super heroicis virtutibus huius innocentis aequae ac poenitentis puellae

suam mentem panderet, nullo tamen per praesens decretum (quod quidem numquam fieri solet) prolato iudicio de praeternaturalibus Servae Dei charismatibus.

Quare ad Se arcessiri iussit R. mos Cardinaies Camillum Laurenti S. R. C. Praefectum et Ianuarium Granito Pignatelli di Belmonte Episcopum Ostien. et Albanen. Causae Ponentem seu Relatorem, nec non R. P. Salvatorem Natucci Fidei Generalem Promotorem, meque infrascriptum Secretarium, sacraeque Hostia pietissime litata, edixit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum tum in proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine, earumque adnexis Famulae Dei GEMMAE GALGANI in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta sacrae Rituum Congregationis referri mandavit die 29 Novembris anno Domini 1931.

CAMILLUS Card. LAURENTI, S. R. C. Praefectus.

ALFONSUS CARINCI, S. R. C. Secretarius.

Lecto Decreto, postquam S. Rituum Congregationis Officiales sacrum pedem Pontificis sunt deosculati, accessit ad Thronum Exc. mus Dom. Antonius Torrini, Archiepiscopus Lucensis, comitantibus R. mo Praeposito Generali et Postulatore Sodalitatis nostrae, ac Ill. mo Viro Sterbini, Causae Procuratore, et haec legit obsequentissima verba:

*Beatissimo Padre,*

Prostrato dinanzi al Vostro augusto Trono ho l'ambito onore di porgervi l'omaggio devoto e riconoscente per esserVi degnato di ordinare la lettura del Decreto testè ascoltato.

Oggi l'intera Archidiocesi, che la Santità Vostra volle affidata alle mie cure pastorali, esulta di dolcissima gioia nel sentire pronunziata dal labbro del Vicario di Gesù Cristo una sentenza che le conferma una fama gloriosa, quella di aver dato alla Chiesa molte anime sante.

La Verginella Gemma Galgani è di ieri e perciò l'eroismo delle virtù di lei dimostra che la santità fiorisce anche oggi nella terra ir-

rorata dal sangue del suo primo Vescovo, San Paolino, ed illustrata dagli esempi di un S. Frediano, di un S. Anselmo, di un beato Leonardo, di una S. Zita e di una beata Cristiana, che sono gli astri più luminosi fra i santi della Chiesa lucchese.

E sembrava giusto che proprio dentro le mura della Città del Volto Santo spuntasse e crescesse un eletto fiore di Passione, qual'è Gemma Galgani, per la sua profonda e tenera divozione al Crocifisso, che la portò a prediligere i figli e le figlie della Passione, cioè i figli e le figlie del grande Apostolo del Crocifisso, S. Paolo della Croce. Onde fra questi la volle annoverata anche il Vostro venerato Antecessore, Benedetto XV, quando pubblicava il Decreto d'introduzione della Causa.

Ma ecco, Beatissimo Padre, presentarsi alla mia mente una ragione ancora di opportunità per la proclamazione delle virtù eroiche di Gemma Galgani nelle presenti circostanze. La Santità Vostra più volte ha richiamato l'attenzione su la necessità, segnatamente per la gioventù femminile cattolica, di attingere dalla pietà religiosa la lena per il compimento dei doveri personali e per l'esercizio di fruttuoso apostolato cristiano in mezzo alla società, nel posto assegnato a ciascuno dalla Divina Provvidenza. Orbene Gemma, che appena toccò il quinto lustro della sua vita, è di ciò esempio luminoso alle nostre giovani che alla scuola di questa Serva di Dio vengono a conoscere quale copia di vita soprannaturale e di aiuti celesti possono trarre dalla frequenza dei santi Sacramenti, dall'Orazione, e dalle varie pratiche della pietà religiosa, fra le quali, carissima a Gemma, l'Ora santa, di cui non ha molto fu celebrato il primo centenario della canonica istituzione, ma che risale alle rivelazioni del S. Cuore a S. Margherita Maria Alacoque. Io perciò non posso tralasciare di far plauso a quelle associazioni cattoliche femminili che da tempo hanno scelto Gemma a simbolo della loro condotta e si sono intitolate al suo nome.

Vi ha poi un lato della santità di Gemma Galgani che risponde in modo singolare ai bisogni del momento: la modestia nel vestire e la virtuosa tolleranza dei disagi economici della sua famiglia.

Le belle pagine dei processi di beatificazione di questa Serva di Dio, quale profumo di vita soprannaturale e di virtù eroiche non tramandano, capaci di elevare ed inebriare le anime, difendendole da quello spirito di naturalismo che costituisce oggi uno dei più gravi pericoli per la vita cristiana!

*Beatissimo Padre*, dopo questo rapidissimo sguardo su qualche

aspetto della santità della Serva di Dio, di questa Gemma veramente preziosa, mi sia consentito di esprimere il voto che sale dal cuore di tutti i miei diocesani, che essa, per opera Vostra, sia destinata a rifulgere non solo nella Chiesa trionfante, ma altresì nella Chiesa militante a maggior gloria di Dio ed a bene di tutto il mondo.

E mentre umilio ai piedi dell'Apostolico Soglio le più sentite azioni di grazie, per il beneficio che oggi ci avete concesso, imploro dalla S. V. per me, per tutta la mia Diocesi, per quanti hanno cooperato al buon successo della Causa, per i figli e le figlie di S. Paolo della Croce, ed in particolare per la cristiana famiglia lucchese dei Giannini, generosa e fortunata ospite della Serva di Dio, l'Apostolica Benedizione.

Quibus auditis, SS. mus Dominus paterne adstantes est allocutus, ut virtutes Servae Dei laudibus celebraret, eiusque exemplum omnibus huius temporis hominibus proponeret. Ex verbis Pontificis ephemeris *L'Osservatore Romano* sequentia retulit:

### Le paterne parole di Sua Santità.

Ecco, incominciava Sua Santità, ecco davvero una buona entrata nel sacro tempo dell'Avvento; ecco, dalla mano stessa e dal Cuore di Gesù Redentore — questo Gesù che la Chiesa ci invita a considerare e a meditare come reduce ancora nel mondo, *qui venturus es in mundum*, e come tornato alla sua divina infanzia — una vera, preziosa, anticipata strenna natalizia, data dal bellissimo tema che aveva indetta quella adunanza.

Lieto e felice di tanto dono il Santo Padre si rallegrava con Sè stesso dapprima e Si congratulava quindi con quei Suoi figli, per quella evenienza, e subito ringraziava vivamente il Signore non solo per quella convocazione, ma anche per la avvenuta dilazione di quella Lettura di Decreto, predisposta da Dio medesimo, dallo Sposo Divino dell'anima eletta testè esaltata, perchè tale glorificazione avesse luogo appunto in quel giorno e dinanzi a una così magnifica e più delle ordinarie vasta assemblea. Occorreva infatti qualche cosa di più grande e di più notevole del solito per quella piccola, umile Serva di Dio: e ciò si è verificato proprio secondo lo stile di Dio che gli umili esalta per farli i primi nel suo Regno.

Quei dilette figli, del resto, avevano già bene inteso la grandezza e la bellezza di quella esaltazione dalla lettura del Decreto che, nel suo latino, ben trasparente alla perspicace visione intellettuale dei presenti, aveva narrato la vita e parlato delle virtù di Gemma Galgani, prescindendo dai doni soprannaturali o, come si dice, preternaturali che non mancano nella vita dell'umile Serva di Dio. Il Decreto parla dell'eroicità di tali virtù: sia di quelle teologali sia delle cardinali: le virtù che sono la base e la corona di tutta la vita spirituale, di tutta la santità tanto naturale che soprannaturale: e ciò è la cosa più importante, giacchè è veramente per l'esercizio delle virtù e di tali virtù, è per tale esercizio che l'umana creatura rende al suo Creatore, Signore e Padrone, la servitù che gli è dovuta; è per questo che, portati poi dalla mano della Chiesa, Madre e Maestra, fattrice di santità, sul candelabro, gli eroi di tali virtù diventano esempio e magistero per tutti quanti i fedeli.

*Gli insegnamenti della Venerabile.*

Grande, opportuno è, ora, il magistero di virtù della Venerabile Serva di Dio Gemma Galgani: bello e consolante: e ciò non propriamente in grazia di quelle altezze veramente ardue, sovrane e proporzionatamente difficili, ma per l'umile, buono e benefico insegnamento che sta alla base di quelle stesse sommità, così, come alla base delle più vertiginose vette sta il piano, facile e ridente. E' un insegnamento quindi che va a tutti, perchè nessuna età, nessuna condizione, nessuno stato di vita o stato di società, niente può impedire la santità: e tutte le anime sono veramente, effettivamente aperte a tutto quanto la voce del Divino Mandato chiama, tutti invitando a santità: *Sancti estote*: quella santità che appunto dal piano umile e facile sale a sublimi, vertiginose altezze: *estote ergo vos perfecti sicut et Pater vester coelestis perfectus est.*

Su di altre considerazioni intendeva poi soffermarsi l'Augusto Pontefice: quelle a cui il Pastore della Chiesa Lucchese — così opportunamente intervenuto a quella festa sua e dei suoi — con felici espressioni aveva accennato, parlando del magistero che Gemma Galgani imparte in diverse direzioni. Erano le considerazioni generali intorno al tempo attuale: un tempo di tanto



disagio, di tanta miseria vera, vasta, profonda, come a pochi è dato di vedere e di misurare più del Padre Comune, dalla Sua alta vedetta sul mondo intero, vero centro della Sua universale paternità alla quale — cosa bellissima e soprannaturalmente naturalissima — tutti ricorrono, nella quale tutti si rifugiano, e alla quale tutti chiedono soccorso.

E' in tal tempo che l'umile Serva di Dio Gemma Galgani viene a richiamare la dottrina della Chiesa e a presentare l'esempio vivo e vissuto di quello che è e deve essere la sofferenza cristiana; il soffrire in spirito di fede, in spirito di penitenza, in spirito di carità.

E' Dio — spiegava Sua Santità — il Padrone e Sovrano delle cose, che ha dato gli anni dell'abbondanza, quegli anni che adesso non ci sembra quasi vero di aver vissuti. Ed ora: *Dominus dedit, Dominus abstulit*. Ed è proprio evidente che la mano di Dio ci entra, nella prova attuale, e che alla mano di Dio ubbidiscono le cose del mondo!, mai anzi fu così evidente come oggi! Giacchè dove sono gli uomini, quali sono gli uomini che possono deliberare, contribuire ad una tale condizione di cose, così difficile, così penosa, così angosciata, per la foschia che pervade la greve atmosfera economica, finanziaria e sociale che avvolge tutte le nazioni, tutto il mondo, tutta la società?

Non è possibile che tutto questo dipenda dagli uomini, dalle volontà, dalle disposizioni degli uomini. Gli uomini l'hanno preparato questo disagio, ma credendo di condurre essi le cose, di condurre essi gli avvenimenti; ed invece, evidentemente, dagli avvenimenti sono stati trascinati, forzati, ridotti all'impotenza. Ed ecco: gli uomini ora si agitano, vanno, vengono, si riuniscono, discutono, trattano, varcano i mari, varcano i monti; ma, in tutto ciò, una constatazione si impone; una constatazione dolorosa e terribile: dolorosa per tutto il disordine che essa rileva, terribile — Sua Santità non voleva essere pessimista, è anzi sempre ottimista ma doveva mettere in risalto ciò — terribile per la minaccia, o almeno per il pericolo che da tale disordine sembra derivare. In tanto agitarsi di uomini, in tanto parlare e conferire, in tanti discorsi e dibattiti, chi ha mai sentito parlare di Dio, accennare alla Provvidenza di Dio, chi ha mai sentita o affermata una parola di riconoscenza, di omaggio, di ossequio per questa mano alla quale veramente e non a quella degli uo-

mini ubbidiscono gli avvenimenti? Dolorosa constatazione: no, non è così che uomini, che creature sulle quali, in tanta parte, risplende la luce del Vangelo, la luce del Cristianesimo, dovrebbero fare.

Comportandosi in quel deplorabile modo si va incontro a un terribile pericolo, quello che Egli, il Signore, possa dire: fate senza di me. Si sente bene che un più tremendo castigo non potrebbe certo cadere sulle creature: che cosa può fare infatti la creatura, che cosa può fare il mondo intero senza il Creatore?

#### *Umiltà e Fede.*

Come siamo lontani — proseguiva Sua Santità — dall'umile spirito di fede che illumina anche le tenebre più gravi, più profonde, più vaste; quell'umile spirito di fede nel riconoscere la sovranità di Dio, quell'umile spirito di pensiero nel riconoscere il debito umano dell'espiazione, che prende ed accetta anche la sofferenza e ne fa strumento di purificazione, di propiziazione, di elevazione.

E poi, continuava il Santo Padre parlando degli insegnamenti che venivano dalle virtù di Gemma Galgani, ecco, oltre allo spirito di fede, lo spirito di carità nella sofferenza cristiana, quella carità che — lo si vede nell'Apostolo, lo si vede con infinita perfezione nello stesso Redentore — non ci chiude nè gli occhi nè il cuore, nè la mano dinanzi alle altrui miserie, agli altrui bisogni e dolori. Gesù benedetto, nel momento stesso in cui la perfidia umana si consuma e quasi si supera, volge il suo occhio e il suo cuore a coloro stessi che Lo avevano crocifisso, e al buon ladrone. Nelle lettere apostoliche si vede come in tutte le angustie, le premure, i bisogni dell'apostolato emerga la nota della carità, della affettuosa e memore attenzione per le necessità e per le sofferenze altrui, fino a cercar nel lavoro delle mani i mezzi per sovvenire agli altrui bisogni.

Sofferenza in spirito di fede, di penitenza, di carità. E' appunto con questa carità, è con la fiducia in questa carità che il Santo Padre si è rivolto or non è molto a tutti: non soltanto ai ricchi superstiti dal presente naufragio generale, ma anche ai poveri, anzi ai poveri in modo speciale, poichè Egli ha fede nella generosità dei poveri, nel numero dei poveri, perchè, per

poco che essi facciano, il loro merito assurge a delle vere grandezze. E' ciò che il Papa spesso osserva: ed invitava anzi quei diletti figli a partecipare alla Sua soddisfazione al riguardo. Aveva accennato alle necessità e alle domande di aiuto che ne conseguono: doveva dire che nel numero delle lettere e degli scritti che Gli pervengono, assai sovente Gli era occorso di rilevare, con profonda consolazione e vera edificazione, lo spirito di carità che anima moltissimi, per cui nelle loro richieste si ha un pensiero anche per gli altri; mentre, accanto a questo spirito di carità, non manca mai lo spirito di fede, lo spirito di umile rassegnazione alla volontà di Dio. Una vera ricchezza spirituale questa che già sembra al Santo Padre un grande, prezioso compenso all'angustia che si è impossessata del mondo.

#### *Soffrire col Redentore.*

Un'altra felice constatazione voleva fare l'Augusto Pontefice: quella che riguardava la coincidenza della lettura del Decreto con l'inizio di un tempo particolarmente importante per tutto il mondo cattolico: il tempo dell'Avvento, l'entrata dell'Avvento, con quell'accenno che, alla prima Domenica, la grande Madre e Maestra, la Chiesa fa, sia, in fondo all'Avvento, della reduce culla, del reduce Divino Infante, col rinnovarsi del suo apparire nel mondo, sia del reduce Giudice, delle tremende cose dell'ultimo giorno, quasi invitandoci a colmare la lacuna che si apre tra questi due estremi, e a considerare bene Colui che viene. E' Gesù che viene: viene il Redentore: e noi sappiamo che la sua Redenzione non doveva avvenire se non *per sanguinem*: e ben il vecchio Profeta aveva veduto scorrere da per tutto questo sangue divino!

Gesù viene facendo subito quello che poi sarebbe stata la caratteristica della sua Vita, della sua Passione e della sua Morte: viene a soffrire. Bambino, fanciullo, uomo fatto è in Lui una sofferenza continua. In Lui si assommano tutte le sofferenze della povertà, dell'esilio, del lavoro, un lavoro non da dilettante, ma quello vero, che dà il pane: e poi il lavoro dell'apostolato, il magistero della vita cristiana; e poi infine la Passione e la Morte.

Ed ecco Gemma Galgani tradurci nel fatto della sua vita

cristiana tutte queste grandi lezioni; questo grande invito della Chiesa, a vedere, a meditare, a seguire Gesù, a patire con Gesù, col pensiero meditabondo, col sentimento del cuore grato e riconoscente. Con Gesù, per Gesù. Con Gesù nello stato di grazia, nel vincolo della grazia che ci fa essere vicinissimi a Lui, che, in certo senso, ci fa essere Lui, ci fa vivere la sua vita e ci fa deporre, nelle grandezze di questa sua stessa vita, le miserie della vita nostra. Patire con Gesù: per quel desiderio di ogni vero amore e vera amicizia di assimilarsi all'oggetto amato: patire per Gesù in riconoscenza per il bene fatto per noi; patire per Gesù, per l'onore suo, per difendere l'onore suo, per la propagazione e per il consolidamento del suo Regno e della sua gloria, per i diritti suoi, per i diritti della Chiesa, per i diritti delle anime. Immolarsi per questi altissimi fini, entrare in questa magnifica economia è ciò che tante umili anime fanno con sì profonda umiltà di cuore e con sì grande amore; è quello che Gemma Galgani ha fatto così bene nella sua breve vita di sofferenza veramente cristiana, con Gesù Cristo ed in Gesù Cristo, con il riferimento continuo a Gesù sofferente, appassionato, immolato per noi.

#### *Una gloria divina.*

Divine cose, queste, che toccano veramente quello che v'è di più divinamente glorioso; allorchè cioè si è fatti degni di patire per l'onore di Gesù, per le anime di Gesù, per i diritti di Gesù. Allora si può ripetere di questi eletti l'elogio dell'Apostolo: *in nomine Christi beati*; allora si può ridire di essi quella magnifica parola che basterebbe da sola a testimoniare che l'umanità è redenta e che è stata condotta ad altezze insuperate: *ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.*

E' questa la gloria che il Cuore di Dio e la fedeltà di tante anime generose fanno risplendere sulla Chiesa: purtroppo deve a ciò concorrere anche la mala volontà, la ignoranza di anime fuorviate: ma è in quel modo, cioè in quella generosità che il Santo Padre aveva visto migliaia di giovani sotto i stessi Suoi occhi acquistare quella gloria; mentre tanti altri nella Russia, nel lontano Messico, nella non lontana Spagna hanno raccolto e vanno raccogliendo fasci magnifici di quella stessa gloria, ve-

ramente sovrumana e che proprio può dirsi divina, concedendola Dio stesso agli uomini.

Non restava a Sua Santità che ripetere le Sue congratulazioni con la Chiesa lucchese che vede così luminosamente schiudersi questo nuovo solco di santità; e di felicitarsi altresì vivamente con i figli e le figlie di S. Paolo della Croce per il nuovo onore che viene ad aggiungersi alle loro famiglie, per la nuova vera gemma di cui i loro istituti si arricchiscono; e di congratularsi con la famiglia che ebbe il beneficio e la ventura di ospitare la Serva di Dio.

Aggiungeva tutte le paterne benedizioni richieste, estendendole a tutte le intenzioni ed aspirazioni che i presenti recavano nel pensiero e nel cuore.

Summus Pontifex, cum Benedictionem adstantibus impertiisset, a R.mo nostro Praeposito exemplar accepit praelecti Decreti, ligatum serica fascia alba, floccis aureis ornata; deinde ad Se vocata integra familia Giannini, singulis gratulatus manum deosculandam porrexit, summaque benignitate Ill.mo Dom. Matthaeo, patrifamilias, donavit exemplar Decreti, quod Ipse nuper acceperat; demum ab omnibus fauste acclamatus discessit.

---

## DOCUMENTA PONTIFICIA CONGREGATIONIS

---

### SACRA RITUUM CONGREGATIO

#### I.

CONCEDITUR AD DECENNIUM FACULTAS CELEBRANDI UNAM MISSAM SOLEMNEM ET ALTERAM LECTAM DE B. MARIA VIRGINE A SACRO CORDE JESU, DOMINICA IV POST PENTECOSTEN, IN ECCLESIA RECESSUS MANDURIENSIS.

Nº C. 103/931.

*Beatissimo Padre,*

Il P. Modesto Passionista, Rettore del Ritiro di Manduria, prostrato ai piedi della Santità Vostra, umilmente espone che da oltre quaranta anni si celebra nella Chiesa del suddetto Ri-

tiro, con grande solennità e con triduo di preparazione, la festa di Nostra Signora del Sacro Cuore di Gesù nella quarta domenica dopo la Pentecoste, senza però la celebrazione della Messa liturgica corrispondente. Perciò l'umile oratore prega la Santità Vostra a volergli concedere la facoltà di celebrare la Messa in onore di Nostra Signora del Sacro Cuore di Gesù in detto giorno quale è stata concessa alla Congregazione dei Missionari del Sacro Cuore.

CONGREGATIONIS CLERICORUM EXCALCEATORUM  
SS. CRUCIS ET PASSIONIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Pp. XI tributis, attentis expositis peculiaribus adiunctis, Rev. tui P. Procuratoris Generalis Congregationis Clericorum Regularium SS. mae Crucis et Passionis Domini Nostri Jesu Christi commendationis officio communitis, ita precibus annuit Rev. P. Rectoris oratoris, ut, ad proximum decennium, Dominica IV post Pentecosten, celebrari valeat una Missa sollemnis seu cantata et altera lecta de B. Maria Virgine a Sacro Corde Jesu prouti concessum fuit Missionariis supradictae Congregationis, dummodo non occurrat festum duplex I vel II classis aut Festum ipsius Deiparae, neque omittatur Missa conventualis officio diei respondens et serventur Rubricae. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 1 Augusti 1931.

C. Card. LAURENTI, S. R. C. Praefectus.

ALFONSUS CARINCI, S. R. C. Secret.

II.

PROVINCIAE B. MARIAE VIRGINIS A PIETATE FACULTAS INDULGETUR CELEBRANDI DIE 31 MAII FESTUM B. MARIAE VIRGINIS TITULO OMNIUM GRATIARUM MEDIATRICIS.

Nº C. 103/931.

CONGREGATIONIS CLERICORUM EXCALCEATORUM  
SS. MAE CRUCIS ET PASSIONIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Hodiernus Procurator Generalis Congregationis Sodalium a Passione Jesu, vota Patrum Capitularium Provinciae B. Ma-

riae Virginis a Pietate depromens, enixis precibus Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam XI exoravit, ut in Kalendario ac Proprio Congregationis Passionistarum in usum supradictae Provinciae, festum Beatae Mariae Virginis titulo Omnium Gratiarum Mediatricis inseri valeat una cum Officio et Missa propriis et approbatis. Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab ipso Sanctissimo Domino Nostro tributis, attentis expositis, benigne annuit precibus Rev.mi P. Procuratoris Generalis Oratoris, et festum Beatae Mariae Virginis titulo Omnium Gratiarum Mediatricis celebrandum indulset die 31 Maii sub ritu duplici maiori cum officio et Missa propriis et approbatis.

Die 1 Augusti 1931.

C. Card. LAURENTI, S. R. C. Praefectus.

A. CARINCI, S. R. C. Secret.

### III.

PROROGATUR AD DECENNIUM FACULTAS CELEBRANDI QUOTIDIE MISSAM VOTIVAM S. GABRIELIS A VIRGINE DOLOROSA, INSULAE, IN SACELLO EIUSDEM SANCTI.

N° C. 116/931.

CONGREGATIONIS A PASSIONE JESU.

Instante hodierno Rectore Ecclesiae seu Sanctuarii S. Gabrielis a Virgine Perdolente in « Isola del Gran Sasso », Rev.mi P. Procuratoris Generalis Congregationis a Passione Jesu commendationis officio suffulto, Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa XI tributarum, Rescriptum eiusdem Sacrae Congregationis die 12 Octobris 1921 N. 95 datum circa Missam S. Gabrielis a Virgine Perdolente quotidie legendam in altari Sacelli eidem Sancto dicati, ad aliud decennium prorogare benigne dignata est; servatis clausulis et conditionibus praecedentis concessionis. Indulsit insuper, ad proximum decennium, ut Sacerdotes peregrini vel peregrinorum duces eandem Missam quotidie legere valeant in omnibus altaribus eiusdem Ecclesiae seu Sanctuarii; dummodo non occurrat duplex I et II classis, Dominica, Feria vel Vigilia quae sint ex privilegiatis.

Servatis de cetero Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 12 Septembris 1931.

HENRICUS DANTE, *Substitutus.*

CAROLUS M. SCIFONI, *Adiutor ab actis.*

---

## CHRONICA CONGREGATIONIS NOSTRAE

---

SOLEMNIS DEDICATIO MARMOREI MONUMENTI IN MEMORIAM EXC.MI DOM.  
MICHAËLIS CARDELLA C. P.

Hodiernus Episcopus Grossetanus Gustavus Matteoni, cui concredita est etiam dioecesis Soanensis-Pitilianensis, voluit ad posteritatis memoriam prodere nomen et res gestas Exc.mi Dom. Michaëlis Cardella C. P., qui ab anno 1896 ad annum 1916 dioecesim Soanensem-Pitilianensem gubernavit. Singularem siquidem pietati, ardens studium in salute procuranda sibi commissi gregis hic mire coniunxerat, quod testantur, inter alia, Pitiliani scholae puellis instituendis, asylum puerulis recipiendis, quae Sororibus credidit S. Pauli a Cruce, et praesertim domus iuventuti in Ecclesiae spem instituendae a fundamentis excitata, quae tamdiu fuerat in votis non modo Antecessorum suorum, sed etiam Romanorum Pontificum.

Itaque die 11 Septembris proximi, cum sacra Missio ad populum Pitilianensem a nostris haberetur, in ecclesia cathedrali Missa pontificalis de requie celebrata est ab Exc.mo Dom. Josepho Batignani, Episcopo Montis Politiani, adstantibus Exc.mis Episcopis Grossetano, Clusino et Pientino, necnon Praesidibus civitatis ac frequentissimo populo. Funebrem orationem habuit Rev.mus Dom. Taviani.

Ritu in ecclesia peracto, omnes solemniter pompa ad sacrum Seminarium iverunt, ubi Exc.mus Episcopus Grossetanus marmoreum monumentum detexit, nobilique sermone magnas tribuit laudes piissimo Episcopo Cardella, quod, etsi pauper religiosus, tam pulchra ac magnifica domo alumnis sacrorum instituendis dioecesim ditasset; auspicatus est ut Seminarium plurimos daret sanctos sacerdotes, iis similes quos ille excoluerat; omnibus vocationes ecclesiasticas commendavit, verba claudens adprecando animam benedictam defuncti Episcopi, ut e caelo custodiret dioecesim suam, sacrum Seminarium, urbem Pitilianensem.



Monumentum marmoreo constat lapide, e quo eminet aenea effigies praeclarissimi Episcopi. In marmore haec legitur inscriptio, a Rev.mo Can. Gherardini composita:

« Questo maestoso edificio — dalle pure linee architettoniche — destinato — a plasmare per il Santuario — gli animi duttili dei chiamati — al lavoro nella mistica vigna — attesta ai posteri — zelo pastorale, sete di anime — tenacia di volere, munifica generosità — prezzo di lunghi affanni e sacrifici — non compensati dall'ambita soddisfazione — di coglierne i primi frutti — di — MONS. MICHELE CARDELLA — Figlio di S. Paolo della Croce — Vescovo di Sovana e Pitigliano — dal 30 Novembre 1896 al 5 Febbraio 1916. — Vescovo e Clero — a tanto Benefattore — il dì 11 Sett. 1931 — PP. ».

PROVINCIA SS. CORDIS JESU.

*Electio canonica 2<sup>i</sup> Consultoris Provincialis.* — Cum per obitum Praep. Provincialis Adm. R. P. Tiburtii a S. Petro, hoc officium vacasset, Curia Provincialis, iuxta statuta a Regulis nostris, una cum Adm. R. P. Thoma a Corde Jesu, 2<sup>o</sup> Consultore Prov. S. Familiae, Praepositi Generalis delegato, ad idem munus elegit Adm. R. P. Martinum a Latere Jesu, die 29 Novembris anni 1931.

PROVINCIA IMMACULATAE CONCEPTIONIS.

*Decimum Capitulum Provinciale.* — Habitu est a die 8 ad 14 Novembris 1931 in Recessu SS. Crucis (Buenos Aires), eique praefuit, ex delegatione R.mi P. Praep. Generalis, Adm. Rev. P. Malachias a Septem Doloribus, e Prov. S. Joseph. Electi autem fuerunt:

in Praepositum Provinciae (Buenos Aires): P. Dominicus ab Assumptione;

in 1.um Consultorem: P. Carolus a S. Joachim;

in 2.um Consultorem: P. Michaël a Matre Dei;

in Rectorem Recessus SS. Crucis (Buenos Aires): P. Constantinus a Corde Jesu;

in Rectorem Recessus S. Pauli a Cruce (Capitan Sarmiento): P. Stanislaus M<sup>s</sup>. a Jesu Infante;

in Rectorem Recessus SS. Rosarii (Caroyas): P. Ignatius a Virgine Maria;

in Magistrum Novitiorum (Jesús Maria): P. Victor a Spiritu Sancto.

RECESSUS POLONIAE

*Iubilaeum sacerdotale P. Gregorii a 7 Doloribus B. M. V.*  
(Relatio accepta ex Recessu SS. Iacobi et Annae — Przasnysz).

Dies 3 maji currentis anni fuit dies festus et singularis laetitiae pro hac Communitate: P. Gregorius a 7 Dol. B. M. V. quinquagesimum annum sacerdotii sui solemniter celebravit. Multis iam notus est venerabilis hic senex, qui vitam suam ut missionarius transegit, cum circiter 40 annos apud Bulgaros laboraverit. Caecus factus, alter Tobias, Martyrem Divinum aequo animo cum cruce sua sequitur. Dominus autem servo fideli hanc consolationem, quam pauci experiuntur in sua vita sacerdotali, largiri voluit, eo magis desideratam quod gravis morbi causa verebatur ne postrema hieme relicturus nos esset. Opportune omnibus paratis, rescripto impetrato a Summo Pontifice cum speciali benedictione, venerabilis senex noster nuptias aureas celebravit.

Juxta ritum pro Polonia approbatum, ad cantum *Tu es sacerdos* Iubilatus ecclesiam intravit: ad pedes autem altaris interrogationi Archidiaconi: « Quid petis, venerabilis Pater? » respondit: « Peto devoto animo divinam misericordiam et anni iubilaei gratiam ». Memorato autem ritualibus verbis praecepto annum quinquagesimum sanctificandi et gratias Deo agendi, ad divinam opem implorandum *Veni Creator* cantatum est. Tum Archidiaconus vertit se ad Iubilatum genuflexum et imposuit capiti eius coronam rosmarineam dicens: « Esto fidelis, serve D. ni, et D. nus dabit tibi coronam vitae: qui enim perseveraverit usque in finem hic salvus erit ». Postea tradidit Iubilato baculum ligneum dicens: « Accipe, venerabilis sacerdos, baculum cum cruce, adiumento senectutis tuae; absit tibi gloriari nisi in cruce D. N. J. C., etc. ». Tum Iubilatum aqua aspersit, longam formulam benedictionis dicens super illum. Quibus peractis Iubilatus deposita corona rosmarinea ac baculo, orationem dixit qua Deum precatum est ut sacrificium offerendum pro gratiarum actione acciperet et perseverantiam finalem in sancta vocatione et sanctis operibus ei concederet. His completis, Missam solemnem celebravit Iubilatus, Archidiaconi partibus fungente Ant. Gruszerynski, Praelato Dom. S. S. et concionem occasionalem dicente R. mo Decano (*Vicario foraneo*) locali. Post Missam *Te Deum* cantatum est.

Tandem Iubilatus populum benedixit dicens: « Omni benedictione coelesti ac terrestri benedicat vos omnipotens Deus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, ut videatis bona Jerusalem et habeatis mecum vitam aeternam. — Amen ».

## MONIALES.

MONASTERIUM IN OPPIDO DEUSTO (HISPANIA).

*Mira sanatio cuiusdam monialis per intercessionem Servae Dei MARIAE CRUCIFIXAE A JESU.*

In monasterio Passionis (Deusti) a mense Martio anni 1926 *Soror Francisca a Quinque Vulneribus* diro morbo gutturis vexabatur.

Si tantisper moveretur, vocem omnino amittebat; propter difficultatem autem spiritus, nec poterat laborem suscipere, neque noctu iacens somnum capere. Plura experti sunt medici remedia, sed frustra.

Haec cum videret monialis, summa cum fiducia die 20 Decembris 1929 preces triduanas inceptit, ut a Jesu Infante, per intercessionem Servae Dei Mariae Crucifixae a Jesu, pristinae sanitati restitueretur, ad utiliter allaborandum monialium famulatui. Eadem die perfecte convaluit, ita ut vespere suae Praesidi dixerit se non amplius remediis indigere. Et re quidem vera, nocte insequenti sine ulla spiritus difficultate iacens in lecto obdormivit, ac deinde intermissos labores resumere potuit, hodieque optima utitur valetudine.

Medicus a curatione testimonium conscripsit, in quo praecedentem morbum definit « laryngitem diversis remediis rebellem », ac subsecutam perfectam sanitatem agnoscit.

---

## MISSIONES

### I.

MISSIO APUD NIGRITAS IN CONGO BELGICO.

Sodales nostri desiderio certe tenentur cognoscendi quae spectant Patres Provinciae S. Gabrielis profectos superiore anno exeunte, ut novam Missionem in Congo Belgico constituerent. Commune desiderium nunc libenti animo explere possumus, cum satis longam relationem acceperimus. Velint et aliarum Provinciarum chronicorum scriptores certiozem facere moderatorem huius ephemeridis de aliorum quoque missionariorum laboribus et fructibus, nec tantum de rebus Missionum apud infideles, verum etiam de suae Provinciae rebus

alicuius momenti, quae Sodalibus scitu sint utilia et aedificationi pro-sint.

Igitur RR. Patres Georgius<sup>Joye</sup> a S. Corde Jesu et Benedictus a SS. Eucharistia die 18 Decembris 1930 e Belgio profecti, prospero itinere ad urbem *Leopoldville*, Congi Belgici caput, pervenerunt, ubi tres fere hebdomadas sunt commorati eo fine, ut cursum medicinae aptae ad calidas regiones absolverent. Deinde per flumina Congum, *Kasai*, *Sankuru* iter conficientes, et oppida transgressi *Port-Francqui*, *Bena-Dibele*, hinc autocineto (vulgo *automobile*) vecti, prius *Lodja*, postea *Tshumbe* attigerunt die 25 Februarii, ubi humanissime sunt excepti a Patribus Congregationis Cordis Immaculati B. M. V. (*Scheut*), apud quos manserunt tres menses, tum linguae tum ratio-nis vivendi incolarum addiscendae causa, varios interim excursus fa-cientes in proximas tribus.

Tandem die sabbati 4 Julii ab Exc.mo Dom. Augusto De Clerck, Vicario Apostolico, mandatum receperunt novam Missionem erigendi apud *Bena-Kamba*. Abhinc enim quinque annis incolae huius regio-nis frequentibus litteris haec Exc.mo Episcopo repetebant: « Tu, pa-ter animarum nostrarum, mitte ad nos aliquem sacerdotem ». Interea multi iuvenes ad proximiorum Missionem pergebant, etsi plura cen-tena milia passuum distat, ut doctrinam christianam discerent et Ba-ptismi gratiam reciperent. Haec propter industriam cuiusdam Nigri-tae, nomine Julii, iamdudum ad fidem conversi, et in illa regione vitam degentis.

Itaque die 7 Julii R. P. Georgius, comitatus quodam Patre ab Immaculato Corde B. M. V., ex oppido *Tshumbe* discessit, ibi rema-nente R. P. Benedicto necessaria provisuro. Illi, autocineto vecti, trans-ierunt Stationes missionales *Katako*, *Lodja*, *Bena-Dibele*, *Port-Fran-cqui*, inde per flumen *Sankuru* in navicula ad regionem *Bena-Kamba* feliciter appulerunt die sabbati 18 eiusdem mensis.

Silvestris est regio, indigenae habitant in miserrimis tuguriis, exi-gua veste induti et terra rubra infecti. Patres vicum *Kamba* ingressi, excepti sunt laetis clamoribus civium; postquam autem sarcinas de-posuerunt in domo quae dicitur statio civitatis, ad utilitatem Euro-paeorum exstructa, in medio campo sedentes omnium curiositatem ex-pleverunt. Primi accesserunt pueri, deinde adulti, demum ipse dux tribus salutatum venit, quem Patres rogaverunt ut hortaretur suos subditos ad auxilium eis praebendum, quod ille se facturum promisit.

Postridie, die dominico, celebrato Missae Sacrificio, velocipede (vulgo *bicicletta*) quatuor vicos visitarunt, ut de incolarum ingenio et

moribus certiores fierent; sequentibus diebus integram regionem explorarunt, et cum idoneum stationi missionali erigendae comperissent vicum *Ifuta*, situm loco edito et silvoso, qui distat duo fere milia passuum a flumine *Sankuru*, ibi, multis incolis adiuvantibus, sacellum et domum extruere coeperunt. Illis interim opere commisso, Patres per flumen *Sankuru* breve iter arripuere, ut Iulium illum inviserent, qui tanto fervet studio fidei propagandae. Puer in famulatu fuerat cuiusdam viri Europaei, quem secutus frequentibus in itineribus, litteras et humaniorem rationem vivendi didicit; duodecimum vero annum agens, in patriam reversus, fidei donum suscepit ac baptismate est ablutus. Inde virtutem omnem colere coepit, suosque cives christianam religionem pariter atque mores cultiores docet.

Die 27 Julii Pater ab Immaculato Corde B. M. V. ad suam Missionem rediit; P. Georgius alias fecit excursionses in plaga sibi excolenda, ac die 15 Augusti in sacello iam erecto festum Assumptionis B. M. V. celebravit. Mane divinum obtulit Sacrificium et brevem habuit sermonem lingua *kitomba* de laudibus B. M. V., adstante hominum multitudine, quos inter Iulius quoque; aliquot fideles caelestis dapae sunt refecti. Vespere Rosarium cum populo recitavit, novumque sermonem habuit.

Faveat e caelo B. Virgo Deipara Missionariis nostris, ut qui die sibi sacro Missionem hanc erigendam susceperint et ad hanc Africae oram appulerint, quique suis laudibus laboris initia dicaverint, sua tutela et auspicio ditissimas colligant segetes in his Africae terris, quae *albae sunt iam ad messem*.

*Aliorum Missionariorum profectio.* — E Recessu S. Antonii (*Courtrai*) duo alii Sodales auxilium laturo venerunt, R. P. Rudolphus a SS. Cordibus Patientibus et Fr. Augustinus a Matre Dolorosa, qui corde magno et animo volenti die 20 mensis Octobris Antuerpia solverunt, precibus omminibusque Fratrum comitati.

*Rycke  
Psyche*

II.

RATIO ANNUA OBLATIONUM PRO MISSIONIBUS NOSTRIS AD INFIDELES  
ANNO 1930.

I. ELEEMOSYNAE EX « MISSA LIBERA » SACERDOTUM CON-  
GREGATIONIS.

Ex recessu SS. Joannis et Pauli de Urbe . . . . .	L.	1.270,—
» recessibus Prov. Praesentationis B. M. V. . . . .	»	2.050,—
» » » B. M. V. Dolorosae . . . . .	»	1.232,—
» » » B. M. V. a Pietate . . . . .	»	2.183,—
» » » Purissimi Cordis B. M. V. . . . .	»	2.205,—
» » » Immaculatae Conceptionis . . . . .	»	2.733,—
» » » Pretios. Sanguinis . . . . .	»	495,—
» » Commissariatus Bavariae . . . . .	»	283,50

II. STIPES COLLECTAE.

Ex Prov. Praesentationis B. M. V. . . . .	»	50,—
» » B. M. V. Dolorosae . . . . .	»	410,—
» » B. M. V. a Pietate . . . . .	»	350,—
» » S. Joseph . . . . .	»	775,—
» » Purissimi Cordis B. M. V. . . . .	»	484,—
» » Immaculatae Conceptionis . . . . .	»	3.079,70
» » A Latere Christi . . . . .	»	1.377,—
» » S. Familiae . . . . .	»	4.149,14
» » Pretiosissimi Sanguinis . . . . .	»	4.981,65

III. ELEEMOSYNAE EX « MISSA BINATA » SAC. CONGREGTS. » 16.790,—

IV. OBLATIONES FIDELIUM . . . . . » 2.818,50

Summa omnium oblationum . L. 47.716,49

V. PECUNIA, QUAE IN CAPSA IAM EXSTABAT DIE 21 JUNII  
ANNI 1930 . . . . . » 20.684,05

Totum . L. 68.400,54

*Expensae in favorem nostrarum Mis-*  
*sionum* . . . . . L. 21.352,40

*Distributiones factae inter nostras*  
*Missiones* <sup>(1)</sup> . . . . . » 42.000,—

Totum . L. 63.352,40

*Remanent in Capsa* . . . . . L. 5.048,14

(<sup>1</sup>) Missioni Sinensi . . . . . I. 17.000,—  
» Peruvianae . . . . . » 13.000,—  
» Bulgarae . . . . . » 8.000,—  
» Congolensi . . . . . » 4.000,—

TOTUM L. 42.000,—



## DEPOSITO CORPORE AD CHRISTUM MIGRAVERUNT

---

### MONITUM

In exarando nuncio funebri nunquam omittatur: Nomen Congregationis vel Instituti; dies, mensis et annus mortis; nomen loci tam sacrum, quam saeculare; nomen Provinciae; nomen religionis, et saeculi, defuncti vel defunctae; dies, mensis et annus primae professionis.

Nuncium vero, a Rectore domus in qua defunctus morabatur, mittendum est tum ad Secretarium Generalem, tum etiam ad singulos Provinciales, qui tenentur illud transmittere ad omnes Recessus sibi subiectos, necnon ad Moniales et Sorores a Passione, quarum domus intra ambitum cuiusque Provinciae continetur, juxta normas in hac ephemeride alias editas. (*Bollett., an. I, pag. 83*).

27. — *Die 23 Augusti 1931*, in Recessu S. Gabrielis (Enniskillen), Prov. S. Patritii, P. ANDREAS A SEPTEM DOLORIBUS (Joseph Murphy), qui, natus anno 1886, vota nuncuparat die 5 Junii 1908.

28. — *Die 18 Septembris 1931*, in Recessu B. M. V. de Septem Doloribus (Eyquem), Prov. S. Michaelis Arch., P. JOSEPH M. A CRUCE (Jean Ferdinand Latarque), qui, natus anno 1844, vota nuncuparat die 2 Augusti 1883.

29. — *Die 23 Septembris 1931*, in Recessu Passionis (Deusto), Prov. S. Cordis Jesu, P. TIBURTIUS A S. PETRO, qui, natus anno 1872, vota nuncuparat die 22 Aprilis 1889.

30. — *Die 27 Septembris 1931*, in Recessu S. Cordis Jesu (Habana), Prov. S. Familiae, P. NARCISUS A S. GERARDO, qui, natus anno 1871, vota nuncuparat die 11 Septembris 1888.

31. — *Die 31 Octobris 1931*, in Recessu S. Mariae ad Montes (Napoli), Prov. Virginis Dolorosae, P. FELIX A JESU ET MARIA, qui, natus anno 1868, vota nuncuparat die 23 Junii 1886.

32. — *Die 8 Novembris 1931*, in Recessu S. Pauli a Cruce (Pittsburgh), Prov. S. Pauli a Cruce, P. CLEMENS A S. PETRO, qui, natus anno 1871, vota nuncuparat die 31 Maii 1890.

33. — *Die 20 Novembris 1931*, in religiosa domo S. Annae (Bradford), Soror MARIA HEDWIG (Carolina Valzah), quae nata anno 1853, vota nuncuparat die 21 Novembris 1880.

34. — *Die 13 Novembris 1931*, in Prov. S. Crucis, Frater CONRADUS A PRET.MO SANGUINE (Conrad Jochum), qui, natus anno 1864, vota nuncuparat die 21 Novembris 1885.

35. — *Die 22 Novembris 1931*, in religiosa domo generali (Signa), Soror MARIA PIA A SS. LATERE, quae nata anno 1910, vota nuncuparat die 27 Octobris 1928.

---

*Imprimatur: TITUS A IESU, Praep. Gen.*

---

P. POLISSENO ORLANDI (P. EMIDIO, Passionista) *Direttore responsabile*

---

ROMA — *Tipografia Agostiniana* - Via Giustiniani, 15-17 — ROMA